ALEXII SYMMACHI MAZOCHII

METROPOLITANAE ECCLESIAE NEAPOLITANAE CANONICI,
AC REGII SACRAE SCRIPTURAE INTERPRETIS

OPUSCULORUM

COLLECTIO ALTERA

QUO DIATRIBAE ET SCHEDIA QUAEDAM INEDITA
CONTINENTUR.

VOLUMEN SECUNDUM.

NEAPOLI,
EX REGIO TYPOGRAPHEO
MDCCCXXX.




BIBL. NAZ
Vitt. Emanuele II.
RACCOLTA
VILLAROSA
B
38
NAPOLI

ACADEMICI HERCULANENSES

AD LECTOREM.

In superioris Voluminis praefatione de duabus Mazochii Diatribis nempe de *'Ανοντᾳ Patriarchali*, ac *de Iove Fiazzo*, quas nunc publici iuris facimus, nonnulla praemonere satis habuimus; at de iis Opusculis, quae in hoc ipsum Volumen inserere omnino necesse fuit, ne nimis exsuccum prodire videretur, ne verbum quidem additum reperies. Sed undenam id factum, inquies? ex eo scilicet, quod isthaec Opuscula inextricabilibus adhuc literarum, paginularumque labyrinthis exarata continerentur, qui erat Mazochii scriptitandi mos, omnia suo deinde loco et ordine digesturi. Et de his quidem ipsis actum conclamatumque esset,

nisi, uti diximus, Cl. Vincentii Calà Archiepiscopi Surrentini τȣ μακαρίτου industriae ac patientiae solummodo tanta fuisset vis, ut oculis et calamo posterorum aliqua sterneretur via. Atqui non defuit ex Collegis, qui tum calidae juventutis robore innixus, tum ingenti quodam ingenii atque oculorum acumine praeditus ad idem opus manum admoveret, remque totam Ariadnaeo quodam veluti filo ad exitum perduceret. Sed jam quidquid de singulis hisce Opusculis, quae hoc includuntur Volumine, praenotatu dignum videtur, disserendum aggrediamur.

1. Prima quidem se sistit Dissertatio *de* Ἀνοινίᾳ *Patriarchali* seu *de Vini rudimentis*, de qua si vis statim ediscere quid tibi sentiendum sit, quove sit illa loco habenda, perlege *Monitum*, quod in fronte adest ab eodem Cl. Viro Vincentio Calà appositum. Nobis nihil addere necesse est; sed te juvat audire Mazochium pluribus in locis hujus Dissertationis mentionem facientem, nempe in *Spicil. Biblic.* Tom. 1. p. 133; in Additamentis ad Vossii *Etymol. L. L. v. Ta-*

ma, et in *Comment. ad Tabul. Heracleen.* p. 253 cum titulo *De Noachica vini inventione ad Genes. IX.*

2. Sequitur de *Iove Fiazzo* Dissertatio a Mazochio non semel, sed iterum iterumque promissa, nunquam tamen in lucem edita, ut propterea nos, qui nunc eam praelis committimus, fidem tandem Clarissimi Auctoris liberare jure videamur. Illud vero, Lector, tuis oculis ac menti subjicere omnino opus est, auctori non id contigisse, ut Dissertationem hanc plene perfecteque conficeret. Non pauca enim in ejus ambitu extant melius excutienda, cujusmodi est Pollucis locus pag. 54, ubi de Cortina Delphica sermo est. De hoc tamen loco consule, si lubet, disputata a Cl. Collega nostro Bröndtstedio, qui rem adcuratius est persequutus in opere inscripto *Voyages et Recherches dans la Grece* Vol. 1 p. 117 et seq. quod Lutetiae Parisiorum prodiit anno MDCCCXXVI in fol.

Porro Marmor ipsum, quod eruditae huic Dissertationi argumentum suppeditavit, ὀπιστόγραφον fuisse a Mazochio pag. 33 perhibetur. Verum

illud, uti quidem in Regio Musaeo hodiedum prostat, si qua fides testimonio oculorum habenda est, nullum ὀπισθογραφίας vestigium praeseferre fateamur oportet. At Mazochius de genuina Marmoris lectione in voce *Fiazzo* oculatum semetipse testem praedicat: immo Capacius noster *Histor. Neapol.* p. 241. *I. Edit.* geminam inscriptionem in marmore sculptam refert, atque adeo adfirmat *Basim* fuisse, cujus in una legebatur fronte illa eadem inscriptio, quae in Regio etiamnum adservatur Musaeo, quaeque votum complexa *Iovi Fiazzo* ab Antipatro quodam una cum Artemisia uxore et Aecide (vel potius, ut in marmore caelatum videtur, Alcide) liberto nuncupatum, a Mazochio illustrata est; in altera vero basis fronte asserit, breviorem aliam fuisse ἐπιγραφὴν, ubi suppressa Aecidis sive Alcidis liberti mentione ab Antipatro et uxore Artemisia idem *Iovi Fiazzo* votum repetebatur. Quae cum ita sint, Marmor illud Mazochii, non secus ac Capacii aetate, dum adhuc in Nobilium *Mazarum* Suburbano prope Mergellinam extabat, integrum ac ὀπισθόγραφον revera fuisse dubitare omni-

no non possumus. Quonam igitur pacto, repones, haec inter sese pugnantia conciliantur? Si quis in re incerta conjectandi locus datur, suspicamur in antiquorum monumentorum, quibus olim Rus Nobilium *Mazarum* conspicuum fuit, jactura basim illam dissectam seu potius scalpro diffractam fuisse, ut duae paene similes conficerentur Inscriptiones, quae cum diversis vel donatae vel divenditae fuissent, postea longior ad Regium perveniret Musaeum, brevior autem ex hominum memoria penitus dilaberetur.

Restat ut te moneamus, Lector, nos hanc dissertationem typographicis praelis excudendam curasse juxta apographum, quod idem Cl. Vincentius Calà ex imperviis Mazochii autographis schedis concinnavit, adnotationibusque instruxit, quas nos religiose servavimus: eadem denique fide incidenda nos curasse Numismatum ectypa, quae ille ex Antonii Augustini Dialogis deprompsit, una cum cujusdam Campani marmorei anaglyphi delineatione, de quo Mazochius verba fecit pag. 51.

3. Quod ad Parergon *De Publicis et Publi-*

ciis spectat, nempe ad Inscriptionis Campanae Commentationem, haec quidem prodiit sine auctoris nomine in Vol. V, pag. 161 Collectionis Opusculorum anni 1731, quam Venetiis edidit Angelus Calogerà; at tot tantisque scatet illic mendis, ut de hac re justae sint Mazochii querelae in *Comm. ad Tabul. Heracleen.* pag. 389: *Extat ea de re* (de Publiciis) *scriptiuncula, quae sine meo nomine prodiit, non sine tamen plurimis operarum mendis* etc. Hujus autem rei nos testes sumus luculentissimi; nam in edenda scriptiuncula plus negotii facessivere Venetorum typothetarum σφάλματα, quam autographae ipsae Mazochii paginae, quae in suis licet labyrintheis flexibus lucidiores tamen, et intellectu faciliores extitere. Hinc nos Parergon damus nedum ex autographo emendatum et perpolitum, sed et aliqua accessione locupletatum: est enim ad pag. 74 quaedam addita περιοχὴ, quae textus Liviani *Hist. Lib. IV in fin.*, emendatione pulcherrima commendatur. Quam quidem περιοχὴν haud praetereundum est in schedula quadam volatica traditam sub titulo *Ad de Publiciis additamentum* forte

fortuna inter alias Mazochii autographas schedas nobis occurrisse.

4. Originem et natalia Schedii *De Actia Nicopoli* satis explicavimus in not. (a) pag. 117 hujus Voluminis. Volebat illud Mazochius adtexere operi suo *De Dedic. sub Ascia*, sed cum multo prolixius, quam schedio decebat, evasisset, in forulis, ut nonum premeretur in annum, custodiendum censuit. Et re sane vera scriptio, qualem edimus, πρόπλασμα potius videtur Dissertationis cujusdam singularis, quam animo praeconceptam Mazochius suo tempore solidius latiusque fuisset adornaturus. In praefatione Capita recenset, de quibus edisserere primum statuerat; at postea in eorumdem Capitum lemmatis multa immutat, longeque alio animum avertit. Ut ut tamen res sit, in hac ipsa scriptione longe lateque emicat mira illa ingenii Mazochiani praestantia. Nam cum ibi non aliud ipse sibi proposuisset, quam simplicem de situ aliisque rebus ad Actiam Nicopolim pertinentibus disquisitionem, ad illustrandam Inscriptionem nullo alio titulo insignem, tantam exquisitae eruditionis

copiam exserit, tot Auctorum loca illustrat, repugnantia conciliat, vexata corrigere tentat, ut si eam unquam ad umbilicum perduxisset, inter praecipuas Mazochii lucubrationes jure meritoque adnumerari posse videretur. Ceterum multa in hoc Schedio vix affecta inveniuntur, non pauca desunt, et nonnullae sub finem chartarum plagulae inter paginas solutae repertae sunt, quibus ut ipse alibi Mazochius de se testatur (*in Proleg. ad Spicil. Biblic.*) notas illas commendavit, quas huic operi ultimam aliquando manum impositurus, inter legendum scripto consignabat. Nos interea hoc opus adhuc inelaboratum animadversionibus, notulisque quibusdam instruere non abs re duximus, quodque Mazochius vix verbo indigitavit, ex aliis ipsius lucubrationibus hunc in locum revocare.

5. De tribus, quae memoranda supersunt Mazochii Opusculis, nulla alibi mentio fit. Frustra enim desideres enumerata vel inter ea, quae in I. Opusculorum Mazochianorum Volumine Cajetanus Migliorius edidit Neapoli MDCCLXXI, vel in nota illa quantumvis accuratissima, qua Cl.

Collega noster Iosephus Castaldius Mazochii Vitam a Nicolao Ignarra conscriptam auxit et illustravit. Vide *Ignarrae Opuscul.* pag. 204. Haec autem Opuscula nobis referenda videntur ad ea quae Mazochius lucubravit paullo post quam altera Commentarii in *Mutil. Amphitheat. Campani titul.* editio prodiisset.

Illud enim quod *Historia Corneliorum Balborum* inscribitur, nihil aliud est quam illustratio quaedam lapidarii Epigrammatis in Capuae foro ad Curiam extantis, quod in secunda laudati Commentarii editione pag. 19 prolatum est, quin saltem innueret Auctor se quidquam vel in hoc Epigrammate commentatum esse, vel de Balborum historia fusius disseruisse. Ad hanc historiam concinnandam auctorum loca ex ordine profert Mazochius, in quibus de utroque Balbo fit mentio, sed inter ea quum de familiaritate C. Caesaris cum majore Balbo verba facit, oblitus est allegare locum A. Gellii qui Lib. XVII. c. 9 sic ait: *Libri sunt Epistolarum C. Caesaris ad C. Oppium et Balbum Cornelium, qui res ejus absentis curabant.*

*

Opusculum, quod *de Gente Tuccià* seu *Turcia* nuncupavit, ut Campani marmoris Inscriptionem, quae in hujusmodi Collectionibus nuspiam legitur, illustraret, adumbravit illud quidem, sed nunquam perfecit. Licet enim in secunda Commentarii ad *Mut. Amphitheat. Campani titul.* editione p. 26 se se idem monumentum plenius enarraturum polliceatur, animadvertimus tamen Mazochium nedum ad unguem opus incoeptum perpolivisse, sed ne attigisse quidem ut aliquando luculentius pertractaret. Multa in eo disputat Mazochius de *Consulis* nomine, quod supremi Coloniarum Magistratus, ut Romae, usurpabant, post Norisium et Fabrettum. Qua de re ex professo scripserunt Everardus Otto in peculiari Dissertatione *De Consulibus extra Romam*, et fusius in repetita operis sui editione quae prodiit Trajecti ad Rhenum anno MDCCXXXII *De Aedilibus Coloniarum* pag. 61, et sequ. et Cl. Corsinius in Dissertatione *De Burdigalensi Ausonii Consulatu.* Verum enimvero hac eadem de re tota operae pretium ducimus adnotare, quae Cl. Cajetanus

Marinius sapientissime pronuntiavit in opere, cui titulus *Atti de' Fratelli Arvali* p. 218. *Nè alcuna Iscrizione se n'è mai letta (cioè letta e spiegata come va), nella quale il nome avessero di Consoli i Magistrati Municipali, ed appena per burla e poeticamente ed anche per ischerzo così si dissero questi dagli Scrittori ben di rado.*

Quod ultimo tandem loco hic damus Opusculum, est levis quaedam et subitaria adumbratio commentarii, quod adornare in animo habuerat auctor in antiquam Inscriptionem cuidam SCANTIAE REDEMPTAE positam. De ea vix meminit Mazochius in not. 118, pag. 94 operis sui *De Dedicat. sub Ascia*, vocatque *meam quamdam marmoream tabulam*, neque ubinam loci reperta fuerit, indicavit. Hoc unum ex autographo compertum est, apud πεμματουργὸν quemdam (vulgo *pasticciero*) extitisse. Adumbratio, inquimus, est haec commentationis Mazochianae in Marmor, de quo loquimur, quam hic exhibere visum est, uti in autographo jacet, ne hujus antiqui Monumenti hucusque inediti, stylo paene singulari conscripti, latinitatemque jam fatiscentem redolentis, memoria periret.

INDEX OPUSCULORUM

QUAE

IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

I. A'rονία Patriarchalis, sive Dissertatio *De Vini rudimentis* ad Genes. IX. 21 .... Pag. 2

II. De *Iove Fiazzo* Dissertatio 53

III. Ad Inscriptionem Campanam Parergon, nempe *De Publicis et Publiciis* 75

IV. De Ravennate Inscriptione M. Aurelii Theodoti, seu *De Actiu Nicopoli*, Schedium 79

V. Ad Inscriptionem L. Cornelii Balbi, quae extat ad Curiam (*Capuae*), seu Historia Balborum Majoris, et Minoris 135

VI. Ad Inscriptionem Campanam L. *Turciae Marcellae* seu Historia Gentis Turciae 143

VII. Ad Inscriptionem *Scantiae Redemptae* 151

VINCENTII CALÀ

AD SEQUENTEM DISSERTATIONEM

DE ANOINIAI PATRIARCHALI MONITUM.

Recepta semel hac in me sparta limandi scilicet, et perpoliendi adumbratas Mazochii lucubrationes, ecce tibi, amice Lector, Dissertationem, sive potius Dissertationis initium *De* 'Ανοινίᾳ *Patriarchali, vinique rudimentis*, nam ultra caput secundum non procedit, et capitis tertii sola extat periocha, et fortasse non integra: quam Dissertationem ad Genes. XL. 11. absque tamen sponsione, promiserat daturum se ad calcem Tomi primi Spicilegii Biblici, cui tamen promisso aut oblitus, aut de via fessus non satisfecit; quae enim tractanda restabant, etsi scitu non indigna, erant tamen satis multa. Id ex eo coniicio, quod eo in involucro, quo ex more suo Mazochius eam informationem absolverat, multas inveni solitarias, separatasque membranas ad varia Scripturae loca, in quibus non iniucundae de vino disquisitiones adumbrantur; quas omissas invenio in notationibus Spicilegii, eo certe consilio, ut in hanc Dissertationem derivaret. Quas notationes, etsi paene adumbratas, nolui tibi deperire, proptereaque post periocham illam capitis tertii unam post aliam incedere iussi. Haec te nescire nolebam. Vale.

ANOINIA PATRIARCHALIS

SIVE

DISSERTATIO

DE VINI RUDIMENTIS.

Ad Gen. IX, 21, et plura alia Scripturae loca, ubi vini fit mentio.

Cum Andreas Baccius spisso a se scripto volumine *De Vinorum Historia*, nec non Ioannes Vander Linden in longa satis Dissertatione ad Act. II, 13, quam inscripsit *Vini Pleni*, et alii bene multi, quos equidem sciam, in hoc argumento ita sint versati, ut toti sint in variis vini generibus exponendis, cum interim de primo huius nobilissimi liquoris invento commentari nihil pensi habuerint; putavi non inutilem Scripturae litteram rimantibus operam, si prima vini rudimenta, quae Noacho certe debentur, nova aliqua luce perfunderem, eademque opera Scripturarum, maxime Geneseos, loca eo pertinentia ad trutinam revocarem.

C A P. I.

Variis Gentilium de vini excogitato παραδόσεων explosis, Noacho id inventum asseritur. Ad Genesis IX, 21. animadversiones. Quale id vinum fuerit, quod Noë repererit, et quamdiu in usu fuerit.

Frustra sim, si omnes veterum de vini inventione sententias ennmerare velim. Oeneo plures id tribnunt, a quo et οἴνῳ (*vino*) nomen quaesitum putant. Quemadmodum Oeneus id repererit, postea dicetur.

Ad haec vini inventionem Aegyptii Osiridi; Baccho (1)

Notationes ad Dissertationem De Vini Rudimentis.

(1) Mitylenaei οἴνου γένεσιν (*vini ortum*) in Bacchi honorem celebrabant, uti non longe ab initio Libri II retulit Longus Sophista. At Athenaeus XV, 5 ex Philonide medico narrat, Bacchum ex mari Rubro (malim equidem ex Idumaea mari Rubro vicina, cuius metropolis Bosra a *vindemia*, id enim *Bosra* Hebraice significat, nomen invenit) primum in Graeciam vitem attulisse. Scitu iucunda sunt, quae ibidem narrat, nimirum in furorem actis primis meri potatoribus ab Iove semiplenum vini calicem e convivio reliquum immisso imbre temperatum, eamque temperaturam ab Iove monstratam postea mansisse. Ad vinum quoque a Baccho inventum referri possunt, quae Etymologici Auctor habet in verbo Κελένεια ex Charace Historiographo. Eorum summa huc redit. Dionysus, sive Bacchus in expeditionem Tyrrhenicam profecturus, Silenos omnes (hoc Bacchi commilitonibus nomen fuit), qui senio confecti essent, in Italia reliquit. Italiam hic cum audis, noli aliud intelligere, quam quod primitus Italia vocabatur, quod ora Tarentini sinus, et ea peninsula, quam postea Brutii occuparunt, continebatur. Eadem Italia a Magnis Graecis olim possidebatur, ante hos autem ab Noachi posteris, qui in ea loca penetrarunt. De quo extat copiosa tractatio in Commentario nostro ad I. Tabulam Heracleensem pag. 26. Quamvis autem Charax non antecesserit saeculum Augusteum, tamen in tam antiqua narratione Italiam ea notione prorsus accepit, qua ii, ex quibus sua haec hausit. Nec aliter quam dixi, ab eo Italiam sumi, argumento est, quod ceteroqui Tyrrheni in Italia latius accepta iamdiu sedes fixerant, ex qua proinde pedem movere Dionysus non debuit, in Tyrrhenos bellaturus. At iidem Tyrrheni revera extra Italiam illam veterem erant, quae angustis limitibus arctabatur. Ad narrationem nunc redeo. Sileni in Italia relicti ad vineta plantanda curam convertere: unde vini ferax evasit Italia. Hoc ultimum si de Italia illa strictiore accipiatur, verissimum est, quippe ea regio potissimum ob

Graeci; Latini Saturno (2), aut Iano vindicabant: uti in iis usuvenit, quorum prima origo in Scripturis tradita a profanis ignorabatur. Sed et Athenaeus I, 20 ex Theopompo tradit Chios omnium primos (in Graecia scilicet) vitem sevisse, et coluisse, ab Oenopione Bacchi filio, qui in insulam colonos induxit, id edoctos; deinde Chios eam culturam cum ceteris mortalibus communicasse. Verum idem non longe a primi Libri fine ex Theopompo Chio refert, vitem ad Alpheum fluvium primum repertam fuisse: at Hellanicum scribere in Plinthina Aegypti oppido eamdem fuisse detectam, eaque de causa a Dione Academico vinosos ac bibaces Aegyptios vocari; ad haec vinum hordeaceum (3) ab iisdem fuisse confectum ad solatium eorum, quibus prae egestate vini copia non esset; cuius potu adeo esse laetatos, ut canerent, saltarent, eademque omnia, quae temulenti, facerent. Possem equidem, (si luberet τερατολογῆσαι) multis demonstrare, id quod et alii iam ante fecerunt, omnes istos, quibus vini εὕρεσιν antiquitas vindicavit, aut non alios, quam Noachum fuisse, aut certe ad primos illos Noachidas per orbem dispersos referri debere. In Bacchi fabula, si quid veri est, ea tota ex Oriente, et ex historia Divina manavit, sive alius non fuerit Bacchus, quam Bar-Chus, sive Chusi filius (is est Nemrod) ex Bocharti sententia, sive quivis demum Bacchus fuerit, is certe illustris aliquis orientalis fuit; eoque vini repertor statuitur, quia in Oriente primum ea potio usurpata fuit.

---

vini Byblini copiam celebrata fuit. Vide de eius vino Byblino dicta ad eamdem Tabulam I, pag. 200. Apud Characem sequitur, civitates illas Italiae a Silenis vini feraces effectas, iisdem publice statuas excitasse: quibus Sileni utres vini plenos baiulantes exhibebantur. Extat in hoc Regio Herculanensi Museo aeneum pulcherrimum Sileni signum utrem baiulans, anno superiore repertum.- Facile quivis, vel me tacente, hanc totam Characis narrationem ad vinum a Noachidis primum in priscam illam Italiam illatum retulerit.

(2) De Saturno vini inventore vide, quid narret Plutarchus περὶ παραλλήλων Ἑλλην. καὶ Ῥωμ. ad finem pag. 307.

(3) Herod. II. de vino κριθίνῳ.

Iam vero Saturni nomen est mere Hebraicum, quod *latentem* sonat; nec alius, quam Noë fuit, qui diu in Arca latitavit: quod et Saturni symbolum *navis* liquido demonstrat.

Age vero, quia Oeneus (qui a veteribus uti vini monstrator celebratur: de quo mox dicetur) nominis Iani (4) Graeca est interpretatio, sunt sane duo unius viri nomina. At quis non videt, Ianum non alium, quam Noachum fuisse? Certe quod Ianus bifrons effingitur, eo se maxime Noachum prodit, qui et retro antediluvianam aetatem respiciebat, et ante se etiam postdiluvianam progeniem.

Postremo Osirim, qui agriculturae Aegyptiacae auctor fuisse dicitur, diversum ab Iosepho fuisse non puto, a quo Iosepho ut omnia instituta manarunt, quae ad agriculturam pertinent, sic vinealem agriculturae partem ab eodem non fuisse neglectam, non est quod dubitem: quam certe a Noachidis maioribus suis ipse didicerat.

Verum sint sane, per me licebit, vini inventores isti a Noë, aliisve Patriarchis diversi; quid aliud tandem ex hisce narrationibus colligetur, nisi hos vini usum ex Oriente acceptum in suam quemque patriam invexisse, eâque gratia pro inventoribus habitos? At si primus eius liquoris artifex quaeritur, non alius certe, quam Noë reperietur, auctore Mose Gen. IX, 20; ubi Noe plantasse vineam dicitur, et hausto vino ebrius evasisse. Cui loco libet paullisper insistere.

Ac primum ubi vineam a Noë consitam audis, noli putare, aliud id fuisse, quam pomarium, ubi omne arborum fructiferarum genus esset. Certe sicuti Iud. XV, 5, כרם זית, *cherem zaith*, i. e. *vinea oleae*, olearum consitionem intelligunt (5); sic credibilé est Noachum (cui

---

(4) Iani nomen a יין *Iain* sive *Ien* (*vinum*) deducitur: id quod et Οἶνος *Oeneus* Graece significat. Ergo Oeneus quidem idem ac Ianus fuerit, ut hic idem qui Noë.

(5) Etsi Bochartus verti iubet *vineam, et olivetum*, quae duo saepe iunguntur.

vini factio proposita nunquam fuit, sed forte fortuna aliud agenti se obtulit) in illa vinea, sive pomario tum vites, ad esum scilicet, tum et alia poma plantasse. Ficus certe non aberant, quas ubique Scriptura cum (6) vitibus copulat. Certe cum in Scripturis summa sit divisio agriculturae tradita in שדות *sedoth*, et כרמים *cheramim* (7), i. e. in agrum arabilem, atque vineas; ex eo efficitur, fructiferas arbores ceteras non alibi, quam in vinetis ipsis fuisse consitas, et vinearum ambitu comprehensas: id quod hodieque apud nostros homines usurpatur.

Iam vero quod additur: *Bibensque vinum, inebriatus est*, haud facile concesserim, hanc veram ebrietatem fuisse, cum desipientia iunctam, verum hilaritate tenus, quae vini comes est, stetisse, somnumque exhilarationem illam de more subsecutum. Sunt alia plura in Scripturis (8) exempla, in quibus inebriari est expleri vino ad hilaritatem, ac sine mentis sui compotis detrimento. Tametsi, demus tantisper, sanctum Patriarcham vino supplantatum in somnum se se effudisse: quid tum postea? Culpari ne is potest, cui casu omnino totum id accidit, quod narratur? Nam cum forte vir sanctissimus tum primum uvas in calicem expressisset, hausissetque id poculum, gustandi utique, et experiundi gratia, vi potionis domitum arctior somnus, mysteriique plenus complexus est. Consonant profanorum narrationes tum in eo, quod qui vini vires experti fuere primi, eosdem sive altissimo sopore correptos, sive in furorem actos accepimus (9); tum in eo potissimum, quod temere uvis in pateram expressis, vinum a Noacho repertum narratur. Nam et hoc

---

(6) Unde illa locutio: *Unusquisque sub vite sua, et sub ficu sua.*
(7) Vide Exod. XXII, 5: Num. XVI, 14; XX, 17; XXI, 22: et I. Sam. VIII, 14; XXII, 7; Nehem. V, 3, 4, 5, 11, et alibi passim.
(8) In Iosephi historia Gen. XLII.
(9) Athenaei narratio de furore, etc. est apud Athenaei a me locum citatum.

alterum apud profanos legimus : apud quos Oeneus ille, a quo οἴνῳ (*vino*) nomen quaesitum volunt, non alia id ratione principio molitus narratur, quam racemis forte fortuna in calicem expressis, commissoque venis imprudentibus poculo.

Apud Athenaeum initio Libri alterius Dipnosoph. ita Nicander :

Οἰνεὺς δ' ἐν κοίλοισιν ἀποθλίψας δεπάεσσιν
Οἶνον ἔκλησε.

Musta premens pateris temere uda capacibus Oeneus,
Indidit ex se οἴνȣ *nomen.*

Est ibidem apud eundem et illud Menalippidae :

'Επώνυμος, ὦ δέσποτ', οἶνος Οἰνέως.

Hinc οἶνος *est, here, Oeneo cognominis*

Oeneus iste, qui primus vini monstrator fuisse fertur, non alius, quam Noë fuerit, necesse est : qui Patriarcha non certo ac deliberato consilio, sed gustandi causa compressis racemis, vim liquoris expertus periculo suo fuit. Nam si artem οἰνοποιητικὴν Deus Noacho monstrasset, simul etiam (quod de Iove (10) fabulantur) temperaturam docuisset. Aut si, quod aliqui (11) volunt, iam ante diluvium usitatam οἰνȣργίαν (*vini factionem*) Noë ad aetatem postdiluvianam traduxisset, nunquam virus illud aliorum ante periculo tentatum sine temperatura vir sanctus venis commisisset. Nam viri sancti ebrietas prope clamitat, vini illum per totam retro aetatem fuisse inexpertum, poculum vero illud aliud nihil fuisse, quam mustum recens expressum, ab eoque sic haustum, ut nihil sibi ab eo potu damni timeret. Nec certe alia suppetit ratio, qua virum

---

(10) Ab Iove immisso imbre vini temperaturam monstratam antiqui referunt. Vide Athenaei locum pag. 4. citatum.

(11) Ante diluvium carnibus, et vino mortales carebant : post diluvium utrumque usurpari coepit; sed carnes a Deo indultae, et vinum casu a Noacho repertum fuit. At alii iam ante diluvium utrumque in usu fuisse ostendunt ex illo. Luc. XVII. 27. *Edebant, et bibebant* etc.

ἀνέγκλητον ab intemperantiae nota purgemus. Nam quod aiunt nonnulli, mustum non inebriare, id ad Iud. IX, 13. confutabitur......

Est ergo extra dubitationis aleam positum, prima vini rudimenta non aliud, quam mustum fuisse; necdum enim liquoris eius in annum servandi ratio excogitata fuerat. Ex quo intelligas, aevo illo rudi, et incondito, non alio anni tempore, quam cum uvae ruberent, vini copiam suppetiisse. Ab ea est causa, quod per totam Patriarcharum aetatem rarus admodum vini usus in Scriptura reperiatur. Nulla certe est vini mentio in convivio, quod Angelis Abraham, neque in eo, quod Laban Eliezeri instruxit: neque in viatico, quod Abraham Agari, et Ismaeli tradidit, quibus ille aquae, non vini utrem in commeatum dedit. Nullas in solitudine Israelitae, sicut ob carnium, panis, aquae penuriam, sic propter vini defectum turbas excitarunt; nec dum enim aevo Mosaico vini usus vulgaris erat. Exodi XXIII, 25 dicitur: *Benedicam panibus tuis et aquis tuis*, nulla vini, quippe nondum vulgo usitati, mentione iniecta. At ibi tamen LXX *οἶνον σοῦ* addiderunt, de suo utique, nam in fonte ne *γρῦ* quidem.

Sunt tamen loca nonnulla Geneseos, quibus vini mentio occurrit; quorum singula infra Cap. 2 sic exponentur, ut iis locis omnibus mustum non diu antea expressum intelligendum esse videatur.

Quaeretur ex me fortasse, quamdiu *ἀνοινία* illa perdurarit. Cui quaestioni non adhuc reperi, quid respondeam. Ex Iud. IX, 13, aliisque recentioribus adhuc sacrorum Scriptorum locis in loco producendis musti potum adhuc usitatum fuisse, infra demonstrabimus. Verum quis praestare ausit, politiore illo iam saeculo nondum *οἰνουργίαν*, sive vini in annum condendi artem fuisse compertam? Facilius existimarim, per Iudicum aetatem utriusque vini tum novi, tum veteris usum promiscue usurpatum. At Iosephi certe aetate non aliud vinum in Ægypto (nec credo alibi) usurpabatur, quam quod recens fuerat expressum, uti ex pincernae

2

Pharaonis somnio (quo sibi videre visus fuit racemos in calicem ab hero exinaniendum exprimere) in sequentibus ostendam. Ex quo non temere suspicor, per totam aetatem Patriarchalem stetisse ἀγοινίαν, nec aliis fortasse, quam Iosepho, ut totam agriculturae rationem, sic et artem οἰνοποιητικήν acceptam esse referendam : quem propterea Iosephum posteriores Aegyptii cum in Osiridem (illum dico nobilem agriculturae, vinique inventorem) transformassent, pro eximiis in Aegyptum meritis divinis honoribus prosequebantur.

C A P. II.

Hebraicorum omnium vini synonymorum vera etyma, et primitivae notiones traduntur.

Ne mihi quis forte succenseat, quasi qui abutar otio, dum παραδοξολογίας (*incredibiles opiniones*) quaesitis undecumque ratiunculis lectori obtrudo, ut ubicumque in Genesi sit vini mentio, id de musto recenti sive iure, sive iniuria interpreter : antequam ad singulos Scripturae locos venio, praeiacienda sunt fundamenti vicem gerentia genuina etyma, et nativae notiones vini nominum Hebraicorum ; quae sex ferme reperio, יין *iain*, חמר *chemer*, תירוש *thirosh*, עסיס *asis*, שכר *shechar*, סבא *soba*. Ex his tertium dumtaxat *thirosh*, et quartum *asis* vulgo musti vocabula censentur, reliqua quatuor *vini defaecati*, cuiusmodi Hebraei vinum vetus appellant, nomina putantur. At quidem statuo, peraeque omnia (nisi forte duo ultima excipimus, quae cum ab inebriando dicantur, magis est, ut vinum doliare significent, quod magis inebriat, quam mustum) sua primitiva significatione mustum significare : etsi postea, postquam ars οἰνοποιητική inventa fuit, vinumque in annum servari coepit, simul coeperunt et musti vocabula pro vino usurpari. Proderit ea vocabula in tres bigas distinguere, habita scilicet etymolo-

giae ratione. Post eas bigas addam et de שמרים *schemarim* nonnulla.

§. I.

De תירוש thirosh, et עסים asis, *musti nominibus.*

Prima biga erit תירוש *thirosh*, et עסים *asis*; utraque enim vox ab actione exprimendi musti oritur. Et Gussetiano quidem (1) τῦ thirosh etymo non assentior, ut sit a ירש *iarash*, *possidere*, *hereditatem capere*; quia, inquit, *hominem sibi acquirit*, *ac subiicit* (2). Acutior originatio est, eoque abhorret ab Hebraica simplicitate. Vera illa est, ut deducatur a *iarash*, quatenus *expellere* significat; quia uvae compressae mustum foras propellunt, quod inde *thirosh* appellatur. Ad haec *το* עסים *asis* a verbo עסס *asas*, quod est calcare, deduci, nemo est qui dubitet. Postremo huc revocari potest משרה *mishrah* (3) quod est a שרה *sharah solvere*, quia mustum est uvarum resolutio, atque expressio. Sed hoc melius referetur infra inter vini περιφράσεις, quia Num. VI, 3 (ubi tantum reperitur) cum uvarum adiuncto usurpatur: *Omnem* (משרת ענבים *mishrath anabim*) *resolutionem uvarum non bibet.* Ab eodem vocabulo et תשרי *thisri*, *September* nomen obtinuit, musti expressione nobilis. Errant enim, qui a תירוש *thiros* eum mensem derivant.

(1) Vide Gussetii Commentarium Linguae Hebr. in ea Voce.
(2) Sane si liberet a *iarash*, *possidere* eam vocem deducere; verior derivationis causa esset, quia vinum pars erat praecipua hereditatum, quae in pecoribus, vino, oleo, frumento positae erant.
(3) Quod Num. VI, 3, nec alibi reperitur: qui locus infra expendetur.

§. II.

Biga altera (יין iain , *et* חמר chemer) *explicatur.*

Seqnitur maxime usitatum par alternm יין *iain* , et חמר *chemer* , quae certe et vi originationis , et usu *mustum* proprie significant. Non est dubium, quin *iain* sit a יון *iaven*, *lutum* , sive *faex*; est enim eadem prorsus radix, nam *iod* , et *vau* in medio radicis inter se facillime permutantur. Cur autem *iain* a luto nomen accepit ? Mercerus in Pagnini Lexico in ea voce sic habet : *Sunt qui nomen* iain *affine faciant nomini* iaven, *quod faecem, aut lutum liquidum, et turbidum significat* : *quod in terra Chanaan vina turbida fuerint, faeculenta, et rubra.* Bene omnia , excepto quod in Chanaanitide vina fuisse turbida ait : nam vina regionis illius fuisse et nitore , et gustu praestantissima , nemo ignorat , unde Jeremias in ea regione educatus LI, 7 vinnm a nitore זהב *zahab*, *aurum* appellat ; ut omittam vina Sareptana , Gazensia , Ascalonitana , quae inter eximia numerabantur (4). Atqui vera originationis ratio erat, quia *iain* proprie mustum significat (nec alia notione aetate Patriarcharum , quando nondum vinum , sed mustum in usu erat , *iain* accipiebatur); mnstum autem coenosum, et turbulentum fluere nemo non videt. Ab eadem est causa, quod Iones , ab Iavan Noachi nepote prognati, vinum appellabant *πηλόν* , *lutum* (5) , quo vini synonymo

---

(4) Omitto et illud , quod ad Gen. XLIII , 11 (ubi a Iacobo filii iubentur afferre ad Iosephum *De laude terrae*) R. Levi in Beresith Rabba Sect. 91, in eum censum refert *purpuram* , *vinum* , *balsamum* , *myrrham* , *olivam.*

(5) Hesychius : ΠΗΛΟΣ, Οἶνος. Ἴωνες. Ἔνθεν Κάπηλος ὁ τὸν οἶνον πωλῶν, PELOS (quod est *luti* vocabulum) *vinum apud Iones notat. Hinc et qui vinum vendit*, *Capélos vocatur.* Atque equidem non dubito , quin *Iones* hi , de quibus Hesychins loquitur, ipsi Iavanitae (Iapeti nepotes scilicet , Graeciaeque conditores) sint capiendi. Iavan, et Iavanitarum vero nomen πηλόν (*lutum*) significabat , simulque iidem vinum *iain* (h. e. πηλὸν, sive *lutum*) appellabant.

utitur Aeschylus. Nam revera πηλὸς aliud non est, quam vocabuli *iain*, et alterius *chemer*, de quo mox, Graeca interpretatio. Nec enim primi regionum conditores, sicubi vites ante adventum suum invenerunt, aliud quam mustum turbidum, quod a communi parente Noacho haustum fuerat, epotabant. Qui vinum non modo πηλὸν (h. e. *coenum*) vocabant (id quod Ionum peculiare fuit), sed etiam usitatiore vocabulo τρύγα (quod proprie *faecem* designat) vocabant tum novum (6), tum vetus vinum: quae sunt primae antiquitatis vestigia. De τρυγὸς vocabulo infra.

Venio iam ad חמר *chemer*, quod eamdem prorsus turbidi, et faeculenti notionem imbibit; est enim a verbo חמר *chamar*, quod *turbidum esse* significat. Et quidem in vera, et nativa significatione tum verbi *chamar* (7), tum

---

Quocirca Hesychii locus ita est accipiendus, ut Iones, sive Iavanitae illi primi vinum non quidem Graeco nomine πηλὸν (nec dum enim Graecus sermo exortus erat) vocarint, sed orientali iain, quod tantumdem, ac *iaven*, sive πηλὸς (lutum) significabat.

(6) Τρύγα Graecis non tantum faecem significasse, verum etiam οἶνον νέον, sive mustum testantur passim Grammatici. Etymologici auctor: Τρύγα ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ τὸν νέον οἶνον: *Veteres novum vinum τρύγα appellabant.* Item Hesychio Τρὺξ exponitur ὁ νέος οἶνος, *novum vinum*, et γλεῦκος ἀδιύλιστον, *mustum non percolatum*: idemque ait τρύγα esse οἶνον ἀδιύλιστον ἀπὸ ληνοῦ, *vinum non percolatum, quale e torculari diffluit.* Sane in eo Anacreontis loco, quem recitat Athenaeus Lib. XV: Τρύγα πίνει μελιηδέα, et vinum intelligitur, et ex epitheto colligitur de recenti vino verba fieri; quod certe vetere multo est dulcius, ut propterea γλεῦκος nuncupetur. Eadem ferme de causa Hebraeis שמרים *Shemarim* (quod faecem significat) etiam vini est vocabulum, de quo infra. Saepe etiam τρύγος nomine vinum quodcumque venit sive novum, sive vetus. Sane Theocriti Scholiastes Τρύγα proprie τὸν νέον οἶνον designare adnotat, sed ita ut per κατάχρησιν etiam παλαιὸς οἶνος eo vocabulo donetur. Pollux VI, 18: Τὸν δὲ οἶνον καὶ τρύγα ἐκάλουν, *vinum autem* (novum, an vetus non distinguit) τρύγα (olim) *vocabant*; idque allato Cratini exemplo confirmat. Plutarchus VI Sympos. quaest. 7, cum in eo esset, ut probaret, vinum percolari non debere, aperte ait τρύγα veteres appellasse τὸν οἶνον.

(7) Propria, et primitiva verbi *chamar* notio non alia est, quam quae tradita nobis fuit, ut sit *turbidum*, et *lutosum esse.* Hinc חמר *chomer* significat *lutum*, sive *intritum*, quo lapides ferruminantur. Ex his autem חמר *chemar*, *bitumen* deducitur, quia bitumine in Oriente lapides interlinebantur, eoque pro calce utebantur. Indidem et *chemer vinum*, sive potius *mustum* est ap-

etiam derivatorum quorumdam, et praecipue τοῦ *chemer*, *vini* (8) immane quantum a vero Critici aberrarunt. Vera notio τοῦ *chemer* non alia, quam *turbidi*, et *coenosi* est, eaque vino tali, quale post diluvium prisci mortales, si quando vini cupido incessebat, in potum adhibebant, optime convenit. Nam quia illi mustum non diu antea ex uvis elicitum hauriebant; hinc illud *chemer* appellarunt, non secus ac Iones vinum πηλὸν ob eamdem rationem dixerunt. Quae sane notio optime locis omnibus quadrat, quibus vocabulum *chemer* usurpatur; praesertim Deut. XXXII, 14: *Et sanguinem uvae* (quae pulcherrima est vini περίφρασις) *biberet chemer*, i. e. *turbidum*. Heic autem *turbidum* idem quod *merum* (ut optime vertit Noster), quia quod admixta aqua nitidum, ac pellucidum evadebat, idem sine aqua turbidum erat. Nec alia est ratio, cur *chemer*, quod proprie lutulentum significat, etiam pro mero accipiatur. Alter locus est obscurissimus Is. XXVII, 2, ubi

---

pellatum, utique quia turbidum, et lutulentum. Quae cum ita se habeant, nescio cur viri doctissimi verbo *chamar rubendi* significationem attribuant, in quibus, quod mirur, etiam Bochartus; qui in Phaleg. I, 11 haec habet: *Vocem Hebraeam* חמר chemar, bitumen *a rubedine sumi palam est*, *ut* חמר chemer, vinum, etc. *Nam* חמר chamar *est* rubere *Ps. LXXV, 9.* In quo omnia falsissima, nam bitumen *chemar* est appellatum, quia pro *chomer* sive intrita usurpabatur, et vinum *chemer*, quia luteum. Nec postremo usquam verbum *chamar* pro *rubere* accipitur, ac ne Ps. quidem LXXV, 9 (in Vulg. LXXIV, 9) alia quam *turbidi* significatio inest. En locum: *Quia calix in manu Domini* (ויין חמר *veiain chamar*) *et vinum* (ibi contentum scilicet) *est faeculentum*, *plenum est mixtione*. Hanc esse veram huius loci interpretationem patet ex *faecum* mentione versu sequenti. Et tamen in re tam aperta sunt qui *rubuit* exponunt, sunt qui *efferbuit*: quae sunt falsissima, quum tamen vel optimus Grammaticus Aben Esra eos docere potuisset eo loci *chamar* tantumdem esse, quod *turbidum est*.

(8) In praecedenti notatione eos confutavimus, qui τὸ כמר *chemer vinum* a rubedine (quam inesse verbo *chamar* falso opinantur) dictum volunt. Restat, ut et eos refellamus, qui inde *chemer* dictum volunt, quod cerebrum turbet. Quae etymi ratio in Mercero repertur, aliisque viris clarissimis. Atqui non solet a verbis [illegible] *intransitivae* significationis (cuiusmodi est *chamar*, quod non *turbare* significat, sed *turbari*, aut *turbidum esse*) deduci nomen activi significatus. Ergo non est dubitandum, quin *chemer* idem sit quod *turbidum*, ideoque non vinum vi suae originis, sed mustum designet.

כרם חמר *cherem chemer* varie vertitur. Sed bene est, quod, vel silente me, Malvenda ex Forerio (apud Polum in Synopsi) sic locum illum vertit: *Alternis canite vineae turbidi*. Etsi vel si vineam musti, aut vini vertas, nihil de tradita originatione decedet. Ex Deuteronomii sane citato loco vides olim *chemer* magis epitheti, quam substantivi nominis rationem habuisse; at postea, uti fit, substantivi potestatem obtinuit, ut pro musto (quod semper turbidum), aut etiam καταχρηστικῶς pro vino defaecato ponatur: uti certe usurpatur aliquoties in Esdra, et in Chaldaeo Danielis.

§. III.

Biga tertia (שכר, *et* סבא) *explicatur.*

Postremo tertia vocabulorum se biga offert שכר *shechar*, et סבא *soba*, quorum utrumque ab inebriando venit; nam verbum שכר *shachar* est *inebriari*; nec aliud significat verbum סבא *saba*. Haec duo vocabula pro vino veteri (quippe quod magis inebriat) potius, quam pro musto accipiantur per me licebit. Nec aliter docuerunt Magistri, ut infra docebitur.

§. IV.

De eorumdem vocabulorum apud Magistros significantia.

Iam enim postquam ex etymologia nativas vocabulorum significationes petivimus, videndum porro, num et usus respondeat; idque praesertim in usitatioribus tribus vocabulis תירוש *thirosh*, יין *iain*, שכר *shechar*.

Ac de *thirosh* minus laborabimus, propterea quod omnes Lexicographi mustum interpretantur, uno excepto Gussetio. Qui cum videret saepissime *thirosh* cum *iain* συνωνύμως poni, ex eo collegit *thirosh* vini, non musti

nomen esse. Cui si mens non laeva fuisset, colligere inde potius debuisset, non tantum *thirosh*, sed etiam *iain* mustum proprie designare : quod iam egregie demonstrabitur.

Iain enim (quod ad uvae succum significandum est unum omnium usitatissimum vocabulum) non vini, sed musti nomen esse non solum τοῦ *iain* originatio, de qua supra dictum, palam facit, verum etiam Biblicus usus (qui ex innumeris locis infra excutiendis planissime colligitur), deinde eius cum *thirosh* συνωνυμία, postremo Magistrorum auctoritas, nequaquam in his spernenda, quippe qui vocabulorum notiones ex πατροπαραδότῳ doctrina tenebant. Ac primum de *thirosh*, et *iain* synonymia videamus, quae manifesta est Gen. XXVII, ubi τὸ *iain*, quod versu 25 Iacob suo patri obtulit, idem deinde versu 28, et 37 *thirosh* appellatur: de quo loco infra pluribus commentabimur. Confunduntur, et pro eodem ponuntur eadem vocabula Mich. VI, 15: *Calcabis ...... thirosh*, i. e. *mustum*, *et non bibas iain*, i. e. idem *mustum*. Quamquam heic quidem nemo impedit, quominus *iain* pro vino iam fermentato sumatur. Verum id quod magis ad rem attinet, in iis locis, ubi de decimis agitur, promiscue *iain*, et *thirosh* ponitur, sane quia utrumque mustum significat. Atque haec de synonymia.

Venio ad Magistrorum huius vocabuli interpretationem. Sane ad illud I. Sam. 1, 15: יין ושכר לא שתיתי, *iain veshechar lo shethiti*, i. e. *iain, et shechar non bibi*, Midras sic annotat: *Iain est vinum novum* (sic mustum Iudaei περιφράζουσιν, ut in Evangelio Matt. IX, 17, et alibi), *shechar est vinum vetus*, *neque de hoc*, *neque de illo bibi*. Quae verissima Doctorum notatio duas partes complectitur, de *iain* unam, de *shechar* alteram. Age priorem novis Magistrorum calculis fulciamus. Ad supra laudatum Gen. XXVII, 25 locum Ionathan habet: *Et non erat praesto ei vinum*, *et obveniebat ei Angelus*, *qui attulit de vino*, *quod reservatur in uvis suis inde a diebus initii saeculorum.* Eiusdem vini in uvis

servati mentio fit ad Ecclesiastae IX, 7, ubi dicitur reservari in hortis Edenis. Postremo in Gemara ad Sanhed. fol. 99, sic legitur: *Quid est: Et oculus non vidit, o Deus, praeter te, Is. LXIV, 3? est vinum custoditum in uvis suis inde a sex diebus creationis mundi.* De hoc porro vino bibet Messias ipsorum cum venerit. Non piguit has fabulas quidem, sed tamen veteres fabulas afferre; nam, ut saepe in stercore Ennii aurum effoditur, hoc saltem ex his vetustis commentis eruitur, mustum ex uvis recens expressum olim fuisse in deliciis, et nomine τȣ̃ *iain* venisse.

Progredior iam ad partem alteram Iudaicae notationis ex Midras recitatae, quae nomine *shechar* vinum vetus venire docebat: quod etiam tertium vocabulum erat ex iis, quorum significationem mihi heic examinandam proposui. Sane *shechar* esse vinum vetus reperitur in Targum ad illud Is. V, 15: *Vae surgentibus mane, ut shechar sequantur*; ubi Targum sic posuit: *Vae iis qui praeoccupant mane, ut bibant* (חמר עתיק *chemer attik*) *vinum vetus.* Reperitur quoque in Targum ad Num. XXVIII, 7, ubi in sacrificio Tamid praecipitur libatio τȣ̃ *shechar* (9). Ibi Targum *shechar*, *vinum vetus* interpretatur. At contra R. Salomo *vinum e torculari, et magis inebrians.* In hac sane Magistrorum pugna non possum, quin plurium, et quidem antiquorum sententiae, quae docet *shechar* esse vinum vetus, assentiar. Vetus cum dico, sic intelligo, ut tantum a vino torcularis distinguatur, quae duo vina quadragesimus dies discriminat. Sic enim in Tractatu Misnico *De Controversiarum Testificationibus* cap. VI, 1 reperio: *R. Iehudà filius Babae* testificatus est......*quod vinum quadraginta dierum libatum sit in Altari.* Vbi annotat Bartenora: *Nam antea illegitimum erat, eo quod vinum torcu-*

(9) נסך שכר ליהוה *nesech shechar laiova, libatio τȣ̃ shecar Domino.*

laris ineptum est ut libetur in Altari. Tamen videndum, si qua cum Targum, et Misna Salomo redire possit in gratiam; qui fortassis hoc voluit (nominis scilicet etymon secutus), per *shechar* vinum magis inebrians significari, cujusmodi fuerit non quidem mustum tunc primum elicitum (nam hoc minus (10) inebriat), sed mustum iam qnidem fermentatum, verum nondum ita defaecatum, ut vinum vetus dici possit (11).

De *shechar* est etiam quod moneam, eius vocabuli ambitu non modo vinum e vite, verum etiam quamcumque potionem inebriantem venire, interprete Hieronymo (12); eoque fit, ut *iain*, et *shechar* sic saepe iungantur, ut illud praecedat, hoc, quippe *γενικώτερον*, subiungatur; ut cum Naziraeis *iain*, et *shechar* vetatur, i. e. (ut omittam suppositam distinctionem, ex qua exponi possit, *non tantum mustum, sed etiam vinum vetus*) non solum vinum e vite, sed quodcumque inebrians poculum. Quae etiam interpretatio convenire potest supra citato loco I Sam. I, 15.

---

(10) Negant vulgo ex musto temulentiam induci. Id si est, non ex musto, sed ex vino doliari Noacho ebrietatem incidisse oportebit, ut etiam Loth Genes. XIX. 32. Sed ea opinio experientiae refragatur, quae docet minus quidem virium ad temulentiam in musto esse, sed inebriare tamen. Refragatur et Iud. IX, 11. ....Postrema ea persuasio orta videtur ex loco Plutarchi in III symposiac. 7. male reddito : [illegible].....ceterum Plutarchus ibi ex Aristotele est exponendus, unde sua hausit.......

(11) Omnino hoc [illegible] veterum sententia R. Salomonem offendit, quod putavit illos per vinum vetus intellexisse vinum Opimii consulis, aut *ondum Marsi memorem duelli* : quae certe vina vetustissima quod minus inebrient, minus convenire putavit etymo *micerae*...At veteres doctores *shechar*, sive *siceram* non alia de causa vetus vinum nuncuparunt, quam ut distinguerent a musto, quod putarunt per $\jmath^{\mathrm{n}}$ significari.

(12) De *sicera* Hieronymus...........

§. V.

De שמרים *shemarim.*

Nunc quando tres illas vocabulorum bigas sic expendimus, ut prius ex etymo, deinde et ex interpretatione Magistrorum veram et nativam eorum notionem assecuti simus; restat profecto, ut et de שמרים *shemarim*, controversae significationis vocabulo, dicam quod sentio. Eo vocabulo faeces designari huc usque creditum fuit, sed ita ut etiam *vinum* (saltem Is. XXV, 6) notaret. Sed intercedit Gussetius in Commentariis Linguae Hebraicae, negans scilicet eo vocabulo faecum significationem inesse. *Nihil*, inquit, *eximii est in vini faecibus, cur illae nomen a* שמר (shamar, *custodivit*) *sortitae sint.* Cui respondeo veteribus fuisse persuasum, valuisse faeces ad conservandum vinum. Et Hebraeis quidem eam persuasionem haesisse, colligo ex Ier. XLVIII, 11, ubi Moabitarum cum vino pulchra comparatio instituitur. En locus, ut Hebraice sonat: *Pacatus fuit Moab a pueritia sua, et quietus* (אל שמריו *el shemarau*) *super faeces suas, et non transfusus fuit de vase in vas: idcirco permansit gustus eius in eo, et odor eius non est mutatus.* Deinde minitatus Moabo exsilium, vel sic persistit in vini allegoria: *Et peregre agent eum, et vasa eius vacuefacient, et utres eorum dispergent.* Vides caussam, cur vino gustus, et odor constiterit, non aliam assignari, nisi quod a faecibus seiunctum non fuerit. Sed et Graecos idem credidisse ex Plutarcho didici. Apud quem in VI Convivalium, quaest. 7. Niger in eam sententiam disputat, vina percolari, seu diffundi non debere, sed Hesiodi scitis esse obtemperandum, iubentis e dolio bibere viribus adhuc innatis praeditum. Nam percolatione ait primum nervos vino praecidi, ac veluti (ἐξευνουχίζεσθαι) *castrari*, deinde eo artificio dulcedinem quidem conciliari, sed utilitatem

auferri, et ut levius efficiant, *στόμωμα aciem* vino praecidi. Tum addit: *Μέγα δὲ τεκμήριον ἡ διαφθορὰ, καὶ τὸ μὴ διαμένειν, ἀλλὰ ἐξίςασθαι, καὶ μαραίνεσθαι, καθάπερ ἀπὸ ῥίζης κοπέντα τῆς τρυγός; eorum quae dixi magnum argumentum in eo est, quod vinum, tamquam a sua radice avulsum* (scilicet seiunctum) *a faecibus corrumpatur, nec perennet, sed vappa fiat, aut alioqui vitietur.* Postremo et illud adiungit, non temere antiquos vinum (*τρύγα*) *faecem* appellavisse: nam sic hominem solemus *capitis*, aut *animae* nomine afficere, a principe scilicet parte petito vocabulo. Non piguit totam Plutarchi disputationem afferre, ut intelligatur, summa ratione usos Hebraeos, qui faecibus a servando, et custodiendo nomen indiderunt; re enim vera vinum diffusum apud antiquos non perennabat.

Asserta iam שמרים *shemarim* Hebraica etymologia, sequitur ut et eadem vocis significatio usu, et exemplis confirmetur. Et quidem communi sensu careat oportet, qui adhuc dubitet, quin in modo recitato Ieremiae loco *shemarim* pro faecibus usurpentur. Nec aliter Chaldaeus exponit, sic *περιφράζων*: *sicut vinum quod conservatur* (אל שמריה *al shemaréa*) *super faecibus suis.* Et tamen citato loco Gussetius ex tripode statuit, non aliud eo vocabulo apud Ier. quam vasa vinaria, quae vinum servant, designari. Mitto heic, quod inter vasa vinum servantia principem locum utribus assignat: nam alio loco monstrabitur, utres ad vectandum eum liquorem, non item ad condendum usui fuisse. Verum quo ore Gussetius *shemarim* vasa interpretabitur, quando vinum illud, de quo loquitur propheta (is est Moab), idcirco et gustum, et odorem suum retinebat, quia *transfusum* non erat *de vase in vas*, sed in suis *shemarim* quiescebat? Nunc si *shemarim* cum Gussetio *utres*, aut *cados* (his enim vocabulis utitur) vertas, quomodo vinum diffusum negabitur? Nemo est qui nesciat, *vinum doliare* appellatum fuisse vinum cum suis faecibus in imo dolio residentibus, a quo si in

utres, cados, aut alia minora vasa transfunderetur sine faecibus, id et *diffusum*, et etiam διηθημένον (*percolatum*) fuisse nuncupatum.

Sed fortassis medebitur huic malo Gussetius, si utrium (quos ineptissime pro *shemarim* posuit) loco dolia substituat. Esto. Verum quid celebri Psalmi LXXIV (Hebr. LXXV) loco faciat, ubi aliud certe non possunt, quam faeces intelligi? Eius quidem loci partem supra cum expositione dedimus: nunc totum, ut magis vis elucescat, huc comportabimus; quem sic ex Hebraeo licebit interpretari: *Quia calix in manu Domini, et vinum* (in eo calice) *turbidum est, plenum mixtione: et diffundit ex hoc* (calice omnibus convivis portiones, qui) *faeces eius exsugent, bibent omnes peccatores terrae.* Haec genuina videtur huius loci sententia; designatur enim divina vindicta sub κυκλοποσίας allegoria (13), in qua poculum in orbem transvectabatur, ita ut cuilibet sua portio cederet (de quo more (14) vide quae dicentur ad illud: *Transeat a me calix iste*): ita fiebat ut calix divinae ultionis faece tenus exsiccaretur, bibentibus ex eo omnibus peccatoribus. Finge nunc per *shemarim* utres, aut cados intelligi ex Gussetii sententia, aut dolia, aut quodcumque demum vas, quis inde commodus sensus expromi poterit?

Tertius est iam locus Soph. I, 22; in quo pulchra est Iudaeorum securitatis, et oscitantiae adumbratio sub vini faecibus suis incumbentis allegoria: *Tempore illo scrutabor Ierusalem in lucernis, et inquiram in viros defixos super faeces suas* (Hebr. הקפאים על שמרידם *hak-*

(13) Ea κυκλοποσία lucutentius discitur ex Graecorum versione: καὶ ἔκλινεν ἐκ τούτου εἰς τοῦτο, *et inclinavit ex hoc in hoc;* h. e. effudit ex hoc calice in illum et illum calicem, et reliquos deinceps in orbem. Apparet Graecos interpretes legisse in suo exemplari מזה לזה *mizzeh lazzeh, ex hoc in hoc.*

(14) Praeter ea, quae dicta sunt ad historiam Passionis, certum est Graecis etiam usitatam κυκλοποσίαν. Est apud Pollucem VI, 31: κύλικας ἐν κύκλῳ περιελαύνειν.

kopheim hal shimreem, i. e. residentes, et quasi coagulatos super faeces suas, instar vini non transfusi, sed suis faecibus incubantis), *dicentes in corde suo* : *pensi non habet Deus nec bene, nec male facere.* At secundum Gussetii notionem, quid sibi velit *defixos super utres*, aut *cados suos*, haud plane intelligo.

Verum ut in tribus allatis locis ei vocabulo faecum notio optime quadrat, de quarto (nec enim pluries ea vox exstat) id praestare non possum. Is locus est Is. XXV, 6, qui sic Hebraice sonat: *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium* (שמרים) *shemarim* : *pinguium* (inquam) *medullatorum*, *shemarim defaecatorum.* Quum laeta sint heic omnia, et convivium lautissimum describatur; tamen nescio quid venerit in mentem nonnullis, heic quoque illud *shemarim faeces* interpretari. Nam quantumvis faeces istae מזקקים *mezzukkakim*, i. e. *eliquatae*, et percolando depurgatae dicantur; quid aliud inde fiet, quam deterrimum vini genus, illud fortassis quod Graeci οἶνον τρυγίαν (15) appellabant? Atque hoc vini genus cum ceteris huius convivii lautitiis non belle convenit. Ergo si me audis, hoc loco *shemarim* non est aliud, quam vinum vetus, ac proinde nitidissimum, cuius omne penitus crassamentum resedit. Et certe sicut faeces Hebraeis *shemarim*, quasi vini conservatrices, nuncupabantur; sic et vetus vinum, quod faecibus suis incubans diu servatum fuit, eodem est vocabulo donatum: haud aliter certe ac Graeci faciebant, qui τρυγὸς nomine tum faeces intelligebant, tum vero et vinum sive novum, sive vetus, ut supra (16) docuimus;

(15) Exstat id vocabulum in oraculo apud Athenaeum Lib. I. Πῖν' οἶνον τρυγίαν ἐπεὶ οὐκ Ἀνθηδόνα ναίεις, Οὐδ' ἱερὰν Ὑπέραν · ἔνθ' ἄτρυγον οἶνον ἔπινες. Ubi τρυγίας apponitur ἀτρύγῳ. At Graeci interpretes bis τρυγίαν pro *shemarim*, h. e. ipsis faecibus posuerunt in supra citatis locis Ps. LXXIV, 9: πλὴν ὁ τρυγίας αὐτοῦ οὐκ ἐξεκενώθη; et Is. XXV, 6: πίονται τρυγίαν.

(16) Notatione 6.

sicuti πηλὸν vocabant vinum Iones antiqui, non alia de caussa, quam quia יין *iain* apud Hebraeos a luto nomen invenerat. Mira certe est Graeci, imo et Latini sermonis cum Hebraico notionum analogia.

Restaret iam triga ultima περιφράσεων vini Hebraicarum, quippe quod et *sanguis uvae*, et *genimen vitis*, et *uvarum resolutio* appellatur. Verum de prioribus duabus dicemus ad sua loca: de ultima (quae Num. VI, 3 exstat) attigi, quantum satis erat, ad finem bigae primae.

CAP. III.

Quid ex hactenus edissertis dici ad ostendendam aetatis Patriarchalis ἀοινίαν debeat. Ad haec ex tota Patriarchali historia docetur, a diluvio ad κατάβασιν in Aegyptum vini usum non fuisse vulgarem, nec nisi rarissime adhibitum: siquando vero usurpatum fuit, non aliud, quam vinum e torculari, non vero vinum fuisse vetus.

Huc usque Dissertatio *De Vini Rudimentis.*
Sequuntnr pittacia promissa in Monito.

Ad genesim xiv. 18.

At vero Melchisedech rex Salem proferens panem, et vinum, erat enim Sacerdos Dei Altissimi, etc.

Qnum maximo consensu antiquitas in hac panis, et vini productione sacrificium agnoverit: nescio quid venerit in mentem Calmeto alteram, quae passim heterodoxis placuit, sententiam praeferre, ut nonnisi alimenta ista fuerint oblata copiis Abrahamiticis. Et quidem ad eum morem firmandum vulgo afferunt Deuteronomii locum XXIII. 4. ubi puniuntur Ammonitae, et Moabitae:

quia, ait Moses, *noluerunt vobis occurrere cum pane*, *et aqua in via*, *quando egressi estis de Aegypto.* Dispar est exemplum, tum quia hi in summa exercitus penuria negaverunt alimenta, quae rogabantur, quod est contra ius gentium (at a Melchisedecho nihil tale petebatur, nec Abraham spoliis onustus his indigebat), tum quia Abrahamiticis temporibus rarissimum fuisse vini usum, alibi demonstratum fuit; ut incredibile sit vinum, quod ne delicatiores quidem eo tempore adhibebant, vernis oblatum fuisse. Hoc, si quid aliud, non sinit nos, nisi de sacrificio cogitare. Similis esto responsio ad Iud. VIII. c. 15. Quamquam vel si id maxime largiar, ea, quae rex Salemensium produxit, subsidio fuisse exercitui; at quotus quisque ignorat, apud omnem antiquitatem convivia a sacrificio inchoata fuisse? Nam postquam eorum pars eximia aris admota fuerat, aut libata numini, tum demum cetera morsibus appetebantur. Hinc sacrificiorum, conviviorumque communia multa fuisse vocabula iamdudum eruditi notarunt. Videri prae ceteris possunt Feithius in Antiquit. Homericis, et Potterus in Archaeologia. Eo fit, ut Iosephus, qui in I. Antiquit. X. n. 2. in hoc facto Abrahami exercitui *ξένια, καὶ πολλὴν ἀφθονίαν τῶν ἐπιτηδείων*, i. e. *hospitalia munera*, *resque ad vitam necessarias magna copia* suppeditata agnoscit, aut si quis alius est veterum similiter sentiens, nihil contra sacrificii veritatem faciat; nam, uti diximus, qui annonam copiis datam dicit, sacrificium non reiicit. At Philo (ex veterum utique Hebraeorum traditione) utrumque simul diserte complectitur Lib. de Abrahamo pag. 382. *Eum* (Abraham) *redeuntem conspicatus magnus ille Dei Maximi Pontifex......,manus ad caelum tendens fausta illi precatus est*, *καὶ τὰ ἐπινίκια ἔθυε, καὶ πάντας τοὺς συναραμένους τῷ ἀγῶνι λαμπρῶς εἱστία*. *et in gratiarum actionem pro parta victoria sacrificavit, et socio agmini splendida alimenta praebuit.* Vbi male interpres illud ἐπινίκια ἔθυε exposuit, *mactatisque victimis*: non enim cruentum heic Melchisedechi ullum

sacrificium ſuit, sed tantum panis et vini: in quo incruenti sacrificii a Christo instituti *τύπον* praetulit, ut et in eo, quod utrumque *εὐχαριστικὸν* fuit: nam *ἐπινίκια* sunt de genere *εὐχαριστικῶν*.

Ad genesim xix. 3.

Ingressisque domum illius fecit convivium, coxit azyma, et comederunt.

Hebraice est: *fecit illis* משתה *mishtheh*, i. e. *potum, et coxit* מצות *mazot*, i. e. *azyma*. Nec aliter LXX. *ἐποίησεν αὐτοῖς πότον, καὶ ἀζύμους ἔπεψεν.* Autumnus tum erat, uvaeque rubebant; itaque expressis uvis potum subitarium fecit. Nec alio ferme modo (quae ruditas saeculi illius erat) vinum tunc parabatur. Vide quae infra dicemus ad versum 32. et ad XL. 11. Frustra autem sunt, qui *mishtheh* heic vertunt convivium, quia supervacanea fuisset postea panum mentio. Et Graeca versio non tantum heic *πότον* posuit, sed etiam in duobus Danielis locis I. 8. et V. 10. quibus locis convivii significationem Hebraico vocabulo vulgo Lexicographi assignant.

Ad genesim xix. 32.

Inebriemus eum (Lot).

Vnde vinum praesto esse poterat in illa solitudine? Respondet Calmetus heic, illos cum Sodoma proficiscerentur, attulisse secum panem, et vinum pro viatico, uti tum, inquit, mos erat. De pane, ut in tanta maturatione, vix assentior; de vino autem ne vix quidem. Quid

enim? Abraham paullo post (Gen. XXI. 14.) cum Agarem, et Ismaelem dimitteret, vinum eis in commeatu non tradidit, sed *tollens panem*, *et utrem aquae imposuit scapulae eius*: quanto minus putandum est Lotum in tanta rerum perturbatione de vino cogitasse? Quid quod ars condendi vini nondum excogitata erat? Nam 180 annis post hoc tempus pincerna Pharaonis non alium potum regi propinabat, quam uvas temere in calicem expressas. Vide quae ad Gen. XL. 11. dicemus. At enim Noachum vini inventorem fuisse tradunt: a Noachi autem exitu ab arca ad hoc Loti factum circiter 450 anni effluxerant. Verum Scriptura non ait Noachum excogitasse artem condendi, atque in annum servandi vini, sed tantum plantasse vineam (i. e. pomarium, in quo non tantum vites, sed etiam ficus, quas Scriptura semper cum vitibus coniungit, aliasque opinor arbores sevisse), nimirum ut fructus comederet: quamvis ceteroqui ex eo quod ex uvis tum primum expressis casu bibisset, hoc poculi genus posteris demonstravit, quod usque ad Iosephi Patriarchae aetatem saltem perdurasse videtur, i. e. per sexcentos amplius annos; quo tempore non nisi subito expressum hauriebatur ab iis, qui delicatius viverent, uti rex Aegypti Pharao. Patriarchas vero frugalius viventes nonnisi aquam adhibuisse in potum existimo, cum in convivio, quod Abraham Angelis apparavit, aut quod Laban Eliezeri, nulla vini sit mentio; proinde Lotum ante hoc tempus fortasse non dum vini, seu potius musti (quod solum tunc in usu erat) vires expertum. Ac certe Moses velut rem insolitam narraturus, ita unam ex Loti filiabus loquentem facit: *Veni*, *inebriemus eum vino* i. e. exprimamus uvas, eoque poculo patrem nil de vino cogitantem inebriemus. Vnde, inquies, uvas? Autumnum tunc fuisse puto; nam cap. XVIII. Abraham dicitur sedisse *in ostio tabernaculi in ipso fervore diei*, atque ad Angelos ait: *Requiescite sub arbore.* Quare Loti filiae cum in aditu speluncae, quam fuerant ingressae, serpentes labruscas (Virgilius

Ecl. V. 7. in antri descriptione labruscam non omittit) invenissent, expressis aliquot racemis, eo potu (vinum autem ex labrusca generosissimum) patrem inedia laborantem, qualem vino domari multo est promptius, facile alienarunt.

At vide, an non isto modo Lotum a culpa vindicare possimus, quem plerique omnes veteres Patres post S. Irenaeum a culpa liberare conantur, excepto S. Augustino, qui rem controversam in utramque versat, ac disputat partem. Et Patres quidem alii alias iniere vias. Mihi hoc magis arridet, culpam omnem in filias esse coniiciendam, quibus poculi a se parati vis, ac potestas perspecta erat; in hoc enim paraverant, ut patrem inebriarent, cui nil de vino cogitanti illas imposuisse crediderim, potionis miram virtutem depraedicantes, ac veluti nepenthes Homericum se propinare iactantes. Lot vix hausto poculo hilaritatem quidem sensit maximam, mox mora nulla ex lassitudine, ac musti vaporibus arctissimo somno est irretitus; nulla postridie eius diei nec ebrietatis (si qua modo fuit ebrietas, nam fons Hebraicus nullam habet vocem, qua id significetur, sed נשקה *naskeh*, idest *propinemus* patri vinum), nec fraudis natarum suspicio incessit: ita ut facile potuerit ad idem iterum barathrum perlici cupiditatis, in sene quidem innoxiae, in puellis autem maxime damnabilis. Certe nunquam mihi persuaserim, sanctissimum senem, si musti vires perspectas habuisset, nossetque illo calice mustum contineri, voluisse se in foedissimam cupiditatem ultro demergere. Porro si ab ebrietatis peccato virum sanctum liberamus, ab incesti crimine eumdem liberari necesse est. Haec mihi via multo promptior, atque expeditior videtur, quam quas antiqui singuli singulas tenuerunt; qui in id tamen ferme conveniunt, ut ab eo crimen omne repellant. Nobis et idem tenere placuit, quod SS. Patrum consensus habet, et tamen in veritatis obsequium expeditiorem viam insistere, ac ferme eamdem, qua vulgo Noachus a culpa absolvitur: nisi quod

*

Noachus quidem non liquoris, sed virium illius succi ignoratione tenebatur; Lot vero, ut opinor, ne hoc quidem sciebat, quodnam poculi id genus esset, quod a filiabus admovebatur.

Ad Genesim XL. 11.

Tuli ergo uvas, et expressi in calicem, quem tenebam, et tradidi poculum Pharaoni.

Mira res: sexcenti amplius anni effluxerant, ex quo Noe *bibens vinum* (ut est Genes. IX. 21.) *inebriatus est*, i. e. expressis temere in calicem uvis (1), quod יין *iain* nihilominus Scriptura appellat; et tamen nondum Chami posteritas, i. e. Aegyptii artem condendi vini, atque in annum servandi adinvenerant, uti patet ex hoc pincerna, qui quod facere olim consueverat, uvas in Pharaonis calicem exprimens, id certe somniavit. Id tamen incredibile videri possit: alioquin quo anni tempore nullae fuissent uvae, nec vinum Aegyptii bibissent. An id videtur verosimilius, iam quidem eo tempore vinum exstitisse, quod in totum annum servarent, et tamen eam quoque potionem in deliciis habitam, ut mustum tunc primum expressum biberent? Tamen hoc magis sedet vix, aut ne

---

(1) Non alia, quam hac ratione vinum principio a Noacho inventum fuerat, uvis nimirum temere in calicem expressis. Profani, qui vini nomen, et inventum ad Oeneum auctorem referunt, non alia ratione id reperisse tradunt, quam uvis temere in pateram expressis. Nicander:

Οἰνεὺς δ᾽ ἐν κοίλοισιν ἀποθλίψας δεπάεσσιν,
Οἶνον ἔκλησε:
Musta premens pateris temere uda capacibus Oeneus,
Indidit ex se οἶνον *nomen.*

Sane quod Athenaeus fine lib. I. ex Hellanico tradit, vinum in Aegypti oppido Plinthina primum esse repertum, unde et Aegyptios vino esse deditissimos: id, inquam, mirum ni ex hac uvarum expressione heic memorata manarit.

vix quidem Iosephi Patriarchae aetate condendi vini rationem innotuisse.

Quinque tamen omnino loci sunt, ex quibus apparet ante, aut circa Iosephi tempora vinum in usu fuisse: iis tamen locis omnibus nihil impedit, quominus mustum tunc primum expressum intelligendum videatur. Ac primum Iobi XXXII. 19. יין h. e. *vini* lagenis inclusi, sine spiraculo, mentio fit, quod lagenas disrumpit. Verum tum Genes. IX. 21. et aliis locis infra indicandis יין non *vinum*, sed mustum exponi oportet; tum vero heic in primis, neque enim nisi a musto est ruptionis vasorum periculum; unde et mustum Noster est interpretatus: *Et venter meus, quasi mustum sine spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit.* Symmachus eleganter verterat, ὡς οἶνος νέος ἀδιάπνευστος. Paene oblitus fueram, quod legitur Iobi I. 18. *Filiis suis, et filiabus vescentibus VINUM in domo fratris sui primogeniti*, etc. Verum, ut vetus vinum illud fuerit, Iobum Iosepho haud paullo posteriorem fuisse nemo dubitaverit. Ad haec Gen. XIV. 18. (qui alter locus est) vinum illud, quod *εἰς τύπον* sacrificii Eucharistici Melchisedech protulit, *mustum*, sive *ἀπαρχαὶ* τῦ תירוש *thirosch* fuisse videtur, ut fuerit tunc autumnale tempus; nam primitiae fructuum terrae potissimum a Sacerdotibus offerebantur. Deinde ad Gen. XIX. 32. quod attinet, vide quae ad eum locum adnotavimus, ut demonstraremus, mustum tunc primum expressum Loto filias propinasse; neque enim aliam credidimus superesse viam ad senem a crimine liberandum, quam si illum per totam retro aetatem abstemium fuisse fingamus, sibique necdum vini vires experto mustum temere expressum a filiabus infusum. Iis, quae hactenus diximus, lux affundi potest ex Gen. XXVII. 25. (isque quartus est eorum locorum, quos initio proposuimus), ubi Iacob post cibos patri illatos *obtulit ei etiam vinum* Heb. יין: nam eodem capite versu 28. et 37. eadem illa potio תירוש *thirosch* h. e. mustum appellatur; ut liquido appareat aliis etiam

similibus locis supra positis יין *iain* nomine *mustum* esse accipiendum, quippe nondum excogitata ratione condendi vini. Nec vacat mysterio, quod musti poculum Iacob parenti admoverit: nempe ad exprimendam ab eo non tantum frumenti, sed et musti benedictionem, quo torcularia erant redundatura; Iudaea enim πολύγλευκος. Postremus locus est Gen. XLIII. 34. ubi Ioseph cum fratribus inebriatus dicitur: sed quo inebriatus, non dicitur; ut vel mustum recens expressum liceat intelligere, vel quodvis aliud poculum ex eo genere, quod universe שכר Hebraei appellabant. Sane illam non fuisse ebrietatem, sed honestam expletionem, iam viri eruditi notarunt, quibus persuasum est, *inebriari* ex linguae Hebraicae consuetudine nihil aliud esse, quam ad satietatem bibere, quamvis sine mentis alienatione, cuiusmodi est illud Homericum:

Ἀλλ' ἐπεὶ ἂν πόσιος, καὶ ἐδήτυος ἐξ ἔρον ἕντο.

Eadem sententia est Gen. XLIII. 34. non enim aliud quam sitis expletio designatur, sive hanc aqua, sive musto, aliove liquore expleverit. Sane et רוה et שכר non tantum de vini, sed et aquae, et sanguinis saturitate haud raro usurpatur.

At enim, inquies, si nondum vini in annum condendi ratio perspecta erat, autumno exacto, quod poculi genus regi pincerna admovisset? Atqui שכר, seu *sicera*, ut ait Hieronymus ad Nepotianum, *Hebraeo sermone omnis potio nominatur, quae inebriare potest, sive illa quae frumento conficitur, sive pomorum succo; aut cum favi decoquuntur in dulcem et barbaram potionem; aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem; coctisque frugibus aqua pinguior coloratur.* En quot modis cetero anni tempore pincernae peritia se regi poterat commendare. Adde quod uvae in longum tempus servantur, et ex uvis passis dulcior, et gratior succus exprimitur. Demum mustum olim decoquebatur, ut diutius servaretur (vide Plin. XIV. 19. et 20), quod defrutum, et sapa Latinis, Graecis autem ἕψημα dicebatur.

Quandonam ars *οἰνοποιητική*, h. e. fermentandi musti, et in annum condendi exorsa fuerit, non habeo dicere: sed dubito, utrum ante Iosephi tempora ars illa teneretur, aut in Aegypto saltem innotuerit. Ex Iobi XXXII. 19. videbatur eius antiquitas posse demonstrari: quo enim mustum in lagenas novas infundebatur, nisi ut ibi conditum servaretur? Verum laguncularum vox est ab interprete: nam in fonte est אבות *oboth*, *utres*. Nego autem vina utribus condita aetatem ferre potuisse, sed utres usurpatos sive ad vectandum liquorem, sive ubi ad paucos dies servare illum voluissent. Scimus Iudaeos mustum lacubus infudisse (vide Marc. XII. 1.), inde autem post fermentationem non ligneis cuppis, uti apud nos, sed testaceis doliis, sive lagenis committebatur. Sed quampridem id fieri coeptum, ignoramus.

Verum haec olim non tam serio, quam *στοχαστικῶς*. Re quippe melius pensata, facilior vini factio fuit, quam ut eam Patriarchae ignoraverint; cum mustum sponte sua ferveat ex Iob. XXXII. 19. et ubi deferbuit, aetatem ferat. Itaque nolo equidem istam de Patriarcharum *ἀνοινίᾳ τερατολογίαν* in animum admittere.

Ex hoc tamen, quo de agimus, somnio vel hoc saltem concludetur, mustum tum primum temere ex uvis expressum fuisse in regum Aegyptiorum deliciis.

Ceterum nationes plerasque vinum diutissime ignorasse, nemo ignorat. Bacchum omnium primum vitem ex mari rubro (h. e. Idumaea, Iudaeave) in Graeciam intulisse tradit Athenaeus. Americani ante Europaeorum appulsum vinum ignorabant. Galli ante Gallicum tumultum ignari vini fuere; qui ubi ex Italia allatum degustassent, eius illectu in Italiam inundarunt. Plutarchus in Camillo: Ὀψὲ *δ' οἴνου γευσάμενοι τότε πρῶτον ἐξ Ἰταλίας διακομισθέντος, οὕτως ἄρα θαυμάσαι τὸ πόμα, καὶ πρὸς την καινότητα τῆς ἡδονῆς ἔκφρονες γενέσθαι παντες, ὥστε ἀράμενοι τὰ ὅπλα καὶ γονέας ἀναλαβόντες ἐπὶ τὰς Ἄλπεις φέρεσθαι, και ζητεῖν ἐκείνην τὴν γῆν, ἣ τοιοῦτον τὸν καρπὸν ἀναδίδωσιν, τὴν δ' ἄλλην ἄκαρπον ἡγεῖσθαι, καὶ ἀνήμερον.*

DE IOVE FIAZZO
DISSERTATIO.

CAPUT PRIMUM.

Ad Dissertationem aditus. De Asclepio et Hygia, ac de Iove Altissimo.

INTER ceteras sane plurimas vetustas inscriptiones, quibus nobilissimi viri Ianuarii Mazzae aedes, quas ille in suo Pausilypensi latifundio habet, exornantur, vel haec legentibus prostat: (1)

.... LAVIVS
ANTIPATER
VNA . CVM
FLAVIA . ARTE -
MISIA . VXORE
ET . AECIDE . LIB
ASCLEPIUM . ET
HYGIAM

IOVI . FIAZZO
VOTVM

Et refertur illa quidem a Grutero 2. XXI, sed penultimo versu mendosa, quo EIAZIO legitur, cum in marmore FIAZZO, me oculato teste, legatur. In ea quoniam plana

(1) Ea inscriptio est ὀπισθόγραφος. Marmora ὀπισθόγραφα non pauca sunt. Non assentior Maffeio de Amphith. pag. 138. huiusmodi marmora bipatentia sive ex utraque parte conspicua fuisse opinanti (etsi quandoque ita se res habebat, ut in Cippo Cameorum, in Arcu Constantiniano, sed non universim); nam inveniuntur etiam laminae marmoreae a tergo conscriptae eodem prorsus exemplo, ut in hac inscriptione. Ergo dicendum eo prorsus consilio fecisse id antiquos, ut si quo casu aut iniuria antica epigraphe corrumperetur, postica muro adpacta restaret ad memoriam sempiternam.

sunt omnia praeter penultimum versum, perpauca primum quaedam de Asclepio, et Hygia, tum multo sane plura de Iove *Fiazzo* dicam.

ASCLEPIVM . ET . HYGIAM] i. e. duo signa, Aesculapii unum, et Hygiae eius filiae (non uxoris, ut in Museo P. Bonanni legitur) alterum. Porro Aesculapius, et Hygia sexies in indice Gruteriano iunguntur; et alibi etiam saepissime, ut apud Fabrettum p. 689. n. 109. ex celeberrimo olim Pichetti Neapolitani museo est in serpentis aenei dorso haec epigraphe : ASCLEPIO . ET . SALVTI. SACRVM. EX. VOTO. CALLIXTUS. D. Et apud eundem pag. 724 extat prolixa illa aedium Barbarinarum LEX. COLLEGI. AESCVLAPI. ET. HYGIAE, quam et Sponius in Miscel. p. 52 cum notis dederat. Vide etiam eadem coniuncta numina apud Reines. Clas. I. n. 114. 116. 117. 118. Quare *συννάες, καὶ συμβώμες* fuisse Θεὲς, est extra omnem dubitationis aleam. Nec dubito, quin Asclepii, et Hygiae signa in Iovis, cui dono dantur, aedem inferenda fuerint, ut in aliqua eiusdem fani cella ponerentur: quemadmodum in Megapolitano Iovis *σωτῆρος* templo Aesculapii, et Hygiae coniuncta simulacra extitisse invenio apud Pausaniam in Arcadicis cap. 31. Sed et Aristides Adrianensis sermone sacro IV, in templo Iovis Aesculapii Smyrnae aurea signa Aesculapii, et Hygiae fuisse testatur. Quod inde ortum opinor, quod Aesculapius prae ceteris Diis Iovi carus fuisse videatur. Hinc apud Lucianum in Θεῶν ἐκκλησίᾳ multa in Deos convicianti Momo vetat Iupiter, ne quidquam contra Aesculapium hisceret. Cui Momus respondit, se quidem de eo taciturum, tametsi non ignoraret, adhuc illum *τὰ σημεῖα ἔχειν, τῦ πυρὸς* nimirum, quo quondam ab Iove fuerat attonitus (2). Qua de re idem Lucianus in eo dia-

(2) Causam adfert Virgilius, quod nimirum Aesculapius Hippolytum ad vitam revocasset, Aen. VII, 772:

Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitae,
Ipse repertorem medicinae, talis et artis
Fulmine Phoebigenam stygias detrusit in undas.

logo, quo Aesculapium, atque Herculem de πρωτοεδρίᾳ in Iovis convivio rixantes inducit, cum se Aesculapius Hercule meliorem dixisset, Herculem sic respondentem facit: *Κατὰ τι ὦ ἐμβρόντητε; ἢ διότι σε ὁ Ζεὺς ἐκεραύνωσεν, ἃ μὴ θέμις ποιοῦντα, νῦν δὲ κατ' ἔλεον αὖτις ἀθανασίας μετείληφας, qua vero re* (melior es) *o attonite? an quod te Iupiter fulmine aliquando percussit res nefarias perpetrantem; nunc autem ex misericordia immortalitatem es iterum assecutus.* Quod autem Iovi horum duorum numinum signa ex voto ponantur; id nemini mirum debet esse, cum apud Gruterum pag. LXXVI et LXXVII. Fortunae primigeniae Praenestinae alia ab aliis signa variorum numinum dono dantur.

Et pro valetudine recuperanda votum fuisse nuncupatum, non solum Asclepii, et Hygiae numina evincunt, sed Iovis etiam; cui ob sanitatem recipiendam vota vulgo concipiebantur, ut in Capuano lapide ostendi.

Iuvat autem hic Romani Lapidis a Reines. Cl. I. n. 114 allati mentionem iniicere, qui sic habet: AESCULAPIO. EPIDAURO. D. P. P. ET. SALVTI. Notas illas D. P. P. ex aliis inscriptionibus docte colligit Reinesius reddendas esse DEO. POLLENTI. POTENTI, vel *Pollenti, Praesenti*. Sed huius appellationis causam ab eo adiectam vellem, quam adferre promptissimum est. Fuit enim Aesculapius *Cabirorum*, i. e. Pollentium Deorum (id enim Hebraeis כביר *Cabir* sonat), qui et Divi Potentes Varroni, et Magni Dii Virgilio appellantur, unus. Et sane Aesculapium neque Graecum, neque Aegyptium fuisse, sed *τινὰ ἐπιχώριον Φοίνικα* (et ex Phoenicia Cabirorum cultus erupit) tradit apud Photium Cod. 242 Damascius; qui etiam *Eusmunum* eum dictum fuisse testatur, quod sermone Phoenicio octavum significare ait, quod omnes hebraice docti norunt. Inter Cabiros enim octavus numerabatur. Sed praeivit Damascio Sanchoniathon apud Euseb. Praep. Ev. lib. I. (3) Itaque in Phoenicia primum Aesculapii orta religio, ad Graecos deinceps, ceterasque nationes evasit.

(3) Adde quod Aesculapii serpens is fuisse creditur, quem παρίας Graeci

Iovi] Non temere Iovem per I procerissimum fuisse hic insculptum censeo. Certe virum in hisce monumentis volutatissimum Raphaelem Fabrettum admonere memini, nihil fere in marmoribus scalptum inveniri, cuius causae non exsistant, quas rimari laudabile puto. Crediderim allusum hic fuisse ad *Iovis Fiazzi* simulacrum, quod procerissimae, opinor, staturae fuerit. Aut certe Iovem ὕψιςον *celsissimum* spectavit quadratarius, cuius signum quoddam in Corinthiacis (in fine cap. 2.) memorat Pausanias; idemque in Boeoticis (cap. 8.) eiusdem Iovis ὑψίςȣ sacellum fuisse ad Portas inde dictas ὑψίςας prodidit. Iovis vero ὑψίςȣ cultum ab uno ex Dei nominibus עליון *Eljon*, *Excelsus*, quod ὕψιςος LXX vertere consueverunt, profectum esse pro certo habeo, nec viri docti dissentient.

FIAZZO] non EIAZIO, ut habet Gruterus. Quod Reinesius in notis ad 256 Clas. I. ita detorsit, ut EVAZIUM faceret, eundemque esse *Iovem Evazium* contenderet, ac *Iovem Sabatium*, cuius mentio in eadem inscriptione 256. Clas. I. quae sic habet: *Iovi Optimo. Maximo.* ΣABATIO. *C. Caetronius. Occius. Valerianus. Mil. Semplar. Armatur. V. S. L. M.* In quod epigramma feliciter ille quidem atque εὐςόχως, modo si nostri Lapidis scriptura faveret, coniectat, Sabatium idem esse, atque Evazium, uti quidem ipse emendandum putat. *Synonymum*, inquit, *Sabazio est Iovis Eiazii vocabulum in Neapolit. 2. XXI; in quo tamen litera una fallit. EVAZIVS enim est ἀπὸ τȣ͂ εὐάζειν, quod idem ac σαβάζειν, i. e. βακχεύειν: Evan autem Bacchus*, etc. Praeclare ista quidem, sicut pleraque solet Reinesius, sed refragante lapide, qui nec EIAZIO, nec EVAZIO, FIAZZO habet.

---

dicunt (Vide Aelian. VIII, 12. et Aristoph. in Pluto). Is autem in Syria reperitur (teste Aetio Trebat. Lib. 4. Serm. 1. cap. 31.) quod argumento esse puto non aliunde, quam ex oriente Asclepium esse arcessendum.

CAPUT II.

Quid Iupiter FIAZZVS fuerit.

Eius autem vocis interpretationem frustra in latino, aut graeco sermone quaeras, cum ab oriente sit arcessenda, unde plerorumque Numinum peregrinorum et cultum, et appellationes (4) Phoenices ad nos attulerunt: et in hoc ipso nostro epigrammate Aesculapii religionem inde etiam ad nos advectam evicimus. Quare ex פי עז *Phi-az*, i. e. *os forte*, vel *os fortis* (geminato, uti opus est, per daghesch elemento (ז), cum sit e duplicantibus secundum) sine ulla vel tenuissima detorsione venit FIAZZVS, i. e. (ut αὐτολεξεὶ dicam) κρατερόστομος.

Ecquid autem sibi vult Iupiter iste FIAZZVS, seu κρατερόστομος? Idem prorsus quod Iupiter Tonans, et עלם כרע, Baal raam, i. e. *Dominus tonitruum* (5). Vossius in Etymol. in voce *Balsamum* ait: *Sic* Baal reem, dominus tonitruum. *Nam* רעם, tonitru. *Sed Scriptura eum ridicula appellatione nominat* baal-phegor, *quod est*, deus cre-

---

(4) Barbarae nationes suos quaeque Deos adorabant variis nominibus praeditos. Postquam cum Romanis, aut Graecis aliquod commercii habuerunt; tum Deos illos suos ad aliquem Deum consentum, aut selectorum referentes, nomina ita copularunt, ut nomen Romanum, aut Graecum praecederet, tum suum barbaricum vice cognominis sequeretur. Hinc Iovi acquisita cognomina Thori Germanorum Dei, Sabasii Phrygum, FIAZZI Phoenicum, sic Dolicheni, etc. Hinc Apollo Belenus, et Grannus: Hercules Silius, et Magusanus: Minerva Belisuma: Sol Mithres, et cetera in hunc modum, quae non sunt attributa Deorum Romanorum (ut eum Iovem Tonantem dicimus), sed mera Deorum Barbaricorum nomina, quae in cognomina evaserant, postquam in censum Romanorum Deorum relata sunt. Itaque sicuti manumissionis, adoptionis, aut civitatis iure acquisito, patronorum, aut adoptantium nominibus vetus suum instar cognominis adhaerebat: ita res et in Diis barbararum gentium evenit, postquam civitate Romana donati fuere. Idem coloniis evenisse alibi demonstravimus initio Commentarii in mutilum Amphith. Campani Titulum, ut Colonia Iulia Felix Augusta Capua, etc.

(5) De *Baal-phegor*, et *Baal-reem* videantur eruditi apud Calmetum in Dissertat. *De Moabitarum Diis* ad Num. pag. 175 et seq.

pitus, *πορδεὺς, non βροντεύς. Nam Hebraei non solent deos gentium suo nomine appellare, sed per contumeliam.* Haec Vossius. Verum neque *Baal-reem* in scripturis alibi legitur, et nimis רעם a τῦ פער significatione recedit, quod *aperire* significat: unde *Dominum nuditatis*, ac Priapum plerique interpretantur. Fateor tamen ingeniosam esse istam Vossii, sive quisquis ille est, a quo est mutuatus, coniecturam. Nam פער de oris aperitione plerumque dicitur. Quare perridicule sane Baal-phehor *Dominum aperitionis gutturis inferioris* significare apud Hebraeos potuerit. Ea sane fuerit Vossii mens. Itaque Hebraei per contumeliam Deastrum illum non ore (quo רעמים tonitrua exprimi credebantur), sed per *inferiorem gutturem*, uti Plautus ait, detonare iactabant. Ac Beelphehori i. e. Priapo, satis bella haec conveniunt; de quo Horatius:

Nam ventosa sonat quantum vesica pepedi.

Accedit *βροντῆς*, et *πορδῆς* similitudo, in qua festive ludit Aristophanes Nubibus:

Και βούλομαι ἀνταποπαρδεῖν
πρὸς τὰς βροντάς.

Proderit, opinor, nonnulla ex sacris voluminibus proferre, eademque cum poetarum dictis comparare; tum facile omnes intelligent, FIAZZVM, ac Tonantem duas esse rei unius appellationes.

Tonitru in divinis scripturis non aliter fere quam קול אלהים i. e. *Vocem Dei* appellari, res est omnium sermone tristissima. Lege prae ceteris totum Psalmum 28: *Vox Domini super aquas = Vox Domini in virtute = Vox Domini confringentis cedros = Vox Domini intercidentis flammam ignis = Vox Domini praeparantis cervos*, etc. Nusquam autem tota tonitruum ratio clarius, quam Iobi 37 describitur; quo quidem capite Eliu sic cum Iobo agit, ut ex admirandis Dei operibus, ac potissimum ex tonitruis, Dei sapientiam, potentiam, iustitiamque concludat, fere ut Horatius Carm. Lib. I. od. 34 ex tonitruis Dei existentiam colligit adversus Epicureos.

Sed praestat audire Eliu in hunc modum loquentem: *Super hoc expavit cor meum......* (quis enim quamlibet atheus, audito tonitru, non statim consternatur, ac vel invitus Deum agnoscit?) *Audite auditionem in terrore vocis eius, ET SONUM* (Hebr. הגה *heghe* i. e. *mussitationem* sive inarticulatum murmur) *DE ORE ILLIVS PROCEDENTEM: Subter omnes coelos ipse considerat* (i. e. dirigit fulgura et tonitrua) *et lumen illius* (i. e. fulgur) *super terminos terrae. Post eum* (i. e. post illud fulgur) *rugiet sonitus, TONABIT VOCE MAGNITVDINIS SVAE...... TONABIT DEVS VOCE SVA mirabiliter* etc. Ad haec Psal. LXVII, 34: *Ecce dabit voci suae VOCEM VIRTVTIS* (heb. עז, i. e. fortitudinis, nimirum ex eodem themate, unde Phi-az)....*magnificentia eius et VIRTVS* eius (heb. עזו *uzzo, fortitudo eius*) *in nubibus* (in quibus edit tonitrua). Ex quibus poeticis Scripturae sanctae locutionibus, et ανθρωποπαθείαις intelligitur aliud nihil esse tonitrua, quam Dei vocem, atque ea ex ipso Dei ore exprimi, Deumque ad ea ejicienda totas veluti exserere vires suas. Nonne igitur hinc apparet, id ipsum per Iovem FIAZZVM (פי עז Phi-az) hunc nostrum ethnicos a Phoenicibus accepto vocabulo designasse?

Verum non parum intererit, quae ex sacris voluminibus ad tonitruum ex ORE Dei FORTI expressionem declarandam protulimus, eadem illa ab ethnicis ἐκ παραλλήλε Iovi suo, quem ex Hebraeorum Iavoh effinxerunt, tributa ostendere: quominus de Iovis FIAZZI vi ac notione mirentur eruditi. Quemadmodum ergo Deum ipsum tonare innuunt sacrae litterae: sic nullum frequentius Iovis epitheton invenies, quam *Tonantis*, et apud Apuleium *Tonitrualis*, graecis Βρονταίε, (6) itemque ὑψιβρεμέτε,

(6) Apud Gruterum pag. XVII ad calcem: IOVI · SANCTO · BRONTONTI etc. et alibi. Vide et pag. XVIII, 1. inscriptionem Capitolinam latinograecam. Et pag. CXXV, 6. De Deo autem Fulgeratore passim apud eundem, Vide pag. XXI.

μεγαλο-βρεμέτου, *ἐριγδούπου*, etc. Atque ut apertius tonitrua ipso Iovis ore (sicut de Deo Scripturae loquuntur) exprimi notarent, maximam illi, vastissimamque vocem tribuerunt; unde et *εὐρυόπης* saepe Homero dicitur, et *βαρυόπης* Pindaro Pyth. ubi ait: *μάλιστα μὲν Κρονίδαν* ΒΑΡΥΟΠΑΝ (quam vocem veluti explicaturus statim subiungit) *στεροπᾶν, κεραυνῶν τε πρύτανιν*, i. e. *maxime vero Saturnium gravi voce praeditum, fulgurum fulminumque praefectum.* Hinc, opinor, *ταυρόμορφον τύπωνα* (ut Lycophronis verbis utar) Iovi poetae tribuerunt, quasi *βαρυόπῃ*, et *ταυροφθόγγῳ, καὶ παραπλήσια βόεσι φθεγγομένῳ* tum cum dicit tonitrua, quae tauri mugitum imitantur (7).

Multo vero maior mihi vis inesse videtur ad Iovis vastissimam vocem notandam in Homerico illo Iovis epitheto *πανομφαῖος*; sic enim ille Iliad. Θ:

Ἔνθα πανομφαίῳ Ζηνὶ ῥέζεσκον Ἀχαιοί.

Etsi vero hanc vocem longe aliter lexicographi interpretantur (8): mihi ea interpretatio unice placet, quae epi-

---

(7) Hinc *τὸ μυκᾶσθαι* de touitruali fragore apud poetas invenitur. Aristophanes Nubibus: *βροντῆς μυκησαμένης θεοσέπτου*. Et Nonnus: *Διὸς μυκήσατο σάλπιγξ*. Apprime etiam huc facit, quod Iupiter Tonaus apud veteres Germanos *Thor* audiebat, teste Adamo Bremensi saeculi XI Scriptore in septemtrionalium populorum Historia. Quod vocabulum ecquis non statim intelligit esse ipsissimum Chaldaicum תור, Thor, i. e. *Bovem*, seu *Taurum*? Praestat autem ipsius Adami verba, uti ea apud Liudenbrogium in notis ad Pauli Warnefr. Lib. I, Cap. 9. reperi, huc, paucis resectis, afferre: *In hoc templo.....statuas trium Deorum veneratur populus, ita ut potentissimus eorum Thor in medio solum habeat triclinium: hinc et inde locum possident Vuodam, et Tricoo. Quorum significationes eiusmodi sunt. Thor, inquiunt, praesidet in aëre, qui tonitrus et fulmina, ventos imbresque......gubernat......Thor autem a sceptro Iovem exprimere videtur.* Haec ille.

(8) Hesychius, et Suidas iisdem plane verbis *πανομφαῖον* explicant, *ᾧ πᾶσαι φῆμαι καὶ μαντεῖαι ἀναφαίνονται*, quibus verbis Hesychius subiungit *τουτέστι κληδών*. Nam *κληδόνα*, sicut etiam *ὄσσαν*, et *ὀμφὴν*, nec non *φήμην* apud Homerum non quamcumque vocem significare, sed quiddam *Θεῖον, καὶ σημαντικὸν τοῦ μέλλοντος* notat Eustathius in illud Od. A: *ἢ ὄσσαν ἀκούσῃς ἐκ Διός*. Unde Sannazarius Cumaeum oraculum *ὀμφαῖον* *Famam Cumaeam* dixit. Sic enim Lib. II. Eleg 9.

Hic ubi Cumaeae surgebant inclyta famae
Moenia.

Quamquam idem Scholiastes ibidem tradit Iovis *ὄσσαν* esse *τὴν τοῦ ἀέρος*, quoniam *αὕτη ἐστὶ φωνῶν*, quippe *ἦχος τυγχάνει*. Sed non possum mihi temperare, quin Varini Favorini interpretationem subnectam, quae ceteras omnes antecellit, et

theton illud vel audienti mihi vel legenti statim animo occurrit, ut πανομφαῖος Iovem *maxima voce praeditum* significet; imo puram putamque vocem, seu, ut Itali dicerent, *Tutto-voce* (9). Παν quippe in compositione ἐπιτατικὸν habet δύναμιν, itaque sicut πανόλβιος est *beatissimus*, et cetera eodem modo, sic πανομφαῖος erit *vocalissimus*. Huic meae interpretationi non parum suffragatur Varinus in Lexico, cuius verba in proxima nota protuli, qui ex Eustathio docet ita dictum esse Iovem, eo quod omnis sonitus, sive vocis Iupiter, seu aër auctor habeatur. Sed haec physica explicatio est: nos poetarum persequimur imagines, qui ἀνθρωποπαθῶς de Diis loquuntur. In medium igitur prodeat Ovidius XI. Met. 199:

Ara Panomphaeo vetus est sacrata Tonanti (10)

Quam vocem in Ovidio qui ita exponunt, quasi *panomphaeus* sit *omnium voce celebratus*, vel *omnium voces promens*, vim eius vocabuli minime tenuerunt, quam vel ipse Ovidius indicat, qui Πανομφαῖον quasi fidus interpres Tonantem latino verbo reddidit, eo quod voce validissima Iupiter tonare crederetur. Sed sicut Ovidius Πανομφαῖον, *Tonantem* interpretatur, sic Graeci felicius FIAZZUM graece verterant Πανομφαῖον.

---

complectitur: Πανομφαῖος, inquit, Ζεὺς, κατὰ μὲν ἀλληγορίαν εἰς ὃν πᾶσα ὀμφὴ, ἤγουν ἁπλῶς φωνὴ ἀνάγεται, τουτέστιν ὁ πάσης φωνῆς αἴτιος ἀήρ· φωνὴ γὰρ ἀέρος ἐστὶ πληγή. Κατὰ δὲ μῦθον Πανομφαῖος ἐστιν ὁ πάσης μαντείας αἴτιος· οἱ γὰρ ἄλλοι πάντες ὑποφῆται Διὸς εἰσιν, εἴτε δαίμονες ἐκεῖνοι, εἴτε ἄνθρωποι.

(9) Quis autem negaverit gentiles vocem prope infinitam Iovi tribuisse? Stentorem quidem Homerus Il. E, 786 quinquagies plus ceteris hominibus clamasse refert:

ὃς τόσον αὐδήσασχ', ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα.
Plus aliis quinquagenis clamare suetus.

At Martis, quippe Dei, vocem μυριοπλάσιον fuisse ait eodem Lib. 859:

Ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον, ἢ δεκάχιλοι
Ανερες.

Tantum intonuit Mars ferreus ore,
Quantum millia sive novem, seu dena virorum.

Quid de Iove cogitandum, quem plus ceteris simul Diis valuisse viribus Homerus saepenumero praedicat?

(10) Occurrit et in Ligoriana inscriptione Panormitana apud Gudium VI, 10 IOVI · OPTIMO · MAXIMO · PANOMPHALO.

6

CAPUT TERTIUM

De Iove Φυσηγνάθῳ *apud Horatium.*

Sed quid his immoror? quin potius Horatium in medium profero, qui vividissime, si quisquam alius, tonitrua ipso Iovis ore exprimi notavit Serm. Lib. I, Sat. 1:

Quid caussae est, merito cur illis Iupiter ambas
Iratus buccas inflet?

Quem sane locum, ut confidentissime dicam, nemo hactenus intellexit. Quid enim efferunt, quod non modo probari, sed ne ferri quidem possit? Itaque Horatius non quorumcumque irascentium oris habitum depingit (nam in ceteris *buccas inflare* non est succensentis, sed elati animi, seu, quod dicere consuevimus, inflati ac magnos spiritus gerentis, ut ex Demosthene (11) intelligitur), sed Iovis irascentis. Qui quoniam non aliter, quam tonitribus, fulminibusque in sontes animadvertit: idcirco Iupiter iste Φυσίγναθος Horatianus non alius est, quam Iupiter *minitabundus*, ac buccis maximo nisu inflatis iam iam tonitrua in noxios expressurus. Itaque tonitrua Iovis *stloppum*

---

(11) Demosthenes in Orat. *De perperam obita legatione:* Καὶ διὰ τῆς ἀγορᾶς πορεύεται, θοἰμάτιον καθεὶς μέχρι τῶν σφυρῶν, ἴσα βαίνων Πυθοκλεῖ, τὰς γνάθους φυσῶν; *Et forum obambulat, malleorum tenus demissa tunica, Pythoclem incessu referens, et stloppo tumidas intendens rumpere buccas.* Sic enim τὸ γνάθους φυσᾶν reddere cum Persio lubuit, apud quem Sat. V, 10. ista insolescentis adiuncta reperio:

Tu neque, anhelanti coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos: nec clauso murmure raucus
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte:
Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.

Etiamsi vero Persius interpres non accedat; per se ipse Demosthenes satis admonet, de elato et glorioso se loqui, praesertim quemadmodum apud auctorem libri, qui sub Demetrii Phalerei nomine prodiit, haec leguntur: πορεύεται διὰ τῆς ἀγορᾶς, τὰς γνάθους φυσῶν, τὰς ὀφρῦς ἐπηρκώς, ἴσα βαίνων Πυθοκλεῖ; ubi cum buccis tumescentibus supercilium elatum coniungitur. Nam quod de Pythocle adiicitur, paroemiâ sic dicebatur, ut et apud Athenaeum lib. V.

merito quis appellarit. Nec temere quidem : cum ea mens fuerit, ut mihi quidem persuadeo, Marcelli Empirici carmine *ad rosus*, cum dixit: *stloppus* (male *stolpus* antea legebatur, quam Casaubonus *stloppus* rescribendum edixisset) *a coelo cecidit* (12). De tonitruo enim ea verba capienda e Iovis inflatis buccis expresso. Id quippe sibi vult *stloppus*, sonus quem edunt buccae inflatae, collisaeque. Vide, quam bene Horatius, ac Marcellus iste mutuam sibi facem alluceant.

Ac mihi persuadeo, fuisse aliquod Iovis Φυσιγνάθου, et quasi tonitrua exprimentis signum, unde Horatius, quasi e re vulgo notissima, inflatas illas Iovis buccas transtulerit. Atque haud scio, an Iupiter Tonans, qui in Capitolio colebatur, buccas sic inflatas exhibuerit, quo adspexerit Propertius IV. I. 7. de urbis Romae primordiis et tenuitate loquens :

Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat,

nondum tam sumptuoso ei templo constructo. Et de *bucca veritatis*, quam vocant Romae in porticu S. Mariae in *Cosmedin* tale aliquod suspicabar (13). Sed nihil inde erui

---

(12) Apud Marcellum Empiricum Cap. 28. *Carmen ad rosus sive hominum, sive animalium diversorum sic. Palmam tuam pones contra dolentis ventrem, et haec ter novies dices* = *STOLPUS* (corrige, ut dixi *Stloppus*) *A CAELO CECIDIT, HUNC MORBUM PASTORES INVENERUNT, SINE MANIBUS COLLEGERUNT, SINE IGNI COXERUNT, SINE DENTIBUS COMEDERUNT. Rosus* autem nomine intelligitur *Rosus ventris*, ut infra apud eundem.

(13) Augebantque suspicionem concepta olim, ut vulgo ferunt, super illud anaglyphum iuramenta, quasi Δία ὅρκιον, seu *Dium Fidium*, uti rebar, anaglyphum illud referret, essetque peierantibus pertimescendum, ne eos Iupiter tonitribus ulcisceretur. Sed nuper illud praesens intuitus, nec cornua illa, qualia Iovis, esse agnovi, neo vero buccas inflatas. Quare assentior Clariss. Fabretto De Col. Traian. p. 305, alicui aquarum receptaculo obturando marmor illud usui fuisse. « Haec Mazochius. Ex hac autem temporis notatione, qua » *nuper* sententiam mutasse ait, coniecturam facere possumus, hanc scriptio- » nem non longe ab anno saeculari, quo Romam petiit, effudisse. Vide Edi- » ctum Peremptorium in calce Dissertationis *De Cathedralis semper unicae*, etc. » pag. 328. CALA'.

*

potest, quod huc magnopere faciat. Fortasse vero (quis enim coniiciendi prurigini modus inveniatur?) Iovis illud ὁρκίȣ signum aspectu horribilissimum, quod Pausanias in Eliacorum priori cap. 24 memorat, fuerit *Φυσίγναθον*. Non pigebit verba ipsa auctoris referre: *Ὁ δὲ ἐν βȣλευτηρίῳ πάντων ὁπόσα ἀγάλματα Διὸς μάλιστα, ἐς ἔκπληξιν ἀδίκων ἀνδρῶν πεποίηται. Ἐπίκλησις μὲν Ὅρκιος ἐστιν αὐτῷ, ἔχει δὲ ἐν ἑκατέρᾳ κεραυνὸν χειρί*, etc. *In Curia Iovis est signum specie perfidiosis hominibus maxime formidanda. Horcius ei cognomen est* (i. e. iurisiurandi vindex), *utraque manu fulmen tenet*, etc. Tum refert, athletas ad illud iurare consuevisse. Liceat mihi hic parumper resistere. Oppido distinguenda esse arbitror *βροντὴν*, et *κεραυνὸν*, i. e. tonitrum ac fulmen: quamvis utrumque a Iove, et eodem tempore proficisceretur. Sed tonitrua ille quidem inflatis buccis, uti demonstravimus, eructabat: fulmina vero manibus intendebat, ut ex veteribus nummis, aliisque monumentis apparet, imo et ex poëtis, apud quos Iovem iaculari fulmina dextra nusquam non invenias; unde et fulmen Iovis telum appellarunt. Ergo Iupiter, si poëtas audimus, uno eodemque tempore ore tonabat, manu vero fulmen contorquebat. Hom. Od. E, 415:

Ζεὺς δ' ἄμυδις βρόντησε, καὶ ἔμβαλε νηὶ κεραυνόν·

Iupiter simul intonuit, et iniecit fulmen navi:

Et Il. Θ, 133.

Βροντήσας δ' ἄρα δεινὸν ἀφῆκ' ἀργῆτα κεραυνόν,

Vehementer tonans emisit candens fulmen:

Auctor Batrachomyomachiae aliquanto quidem tonitru praecedere fecit, sed ut unum tamen sine altero constare minime posset; sic enim ille sub poëmatis finem:

.....Κρονίδης δ' ἔκβαλε ψολόεντα κεραυνόν·

Saturnius autem iaculatus est ardens fulmen:

Quam fulminis iaculationem sic statim per partes explicare pergit:

Πρῶτα μὲν ἐβρόντησε, μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον,
Αὐτὰρ ἔπειτα κεραυνὸν, δειμαλέον Διος ὅπλον,

Ἠκ' ἐπιδινήσας· ὁ δ' ἄρ ἔπτατο χειρὸς ἄνακτος;
Primum quidem intonuit, magnum autem commovit coelum,
Sed postea fulmen, terribile Iovis telum,
Misit contorquens: illud autem evolavit a manu regis.

Cum ergo Iupiter ille ὅρκιος apud Pausaniam ad terrorem incutiendum esset comparatus, verisimile est praeter fulmina, buccas etiam habuisse inflatas, ut et tonitrua, et fulmina periuriis vindicandis praesto haberet, eoque fuisse aspectu horribilissimum. Fortasse etiam et Iupiter iste FIAZZUS, de quo tamdiu agimus, Φυσίγναθος fuerit. Sed ut; ut est tamen qui veterum monumentorum studio tenentur, si quando in aliquod inflatis buccis simulacrum incident, viderint, moneo, an non ad Iovem Φυσίγναθον Horatianum pertinere possit. Nec quidquam causae est, cur dissimulem, me vocem istam Φυσίγναθος ab auctore Batrachomyomachiae esse mutuatum, qui non inepte *illud* nomen veluti praestantissimum, atque a Deorum Rege fortasse sumtum ranarum regi per risum indidit, quem et v. 88. Iovi ταυρομόρφῳ comparavit. Ad Φυσιγναθον etiam Iovem referri potest illud Nonni Dionys. XI, 559 tonitrua describentis:

Βροντaίοις παταγοισι Δίος μυκήσατο σαλπιγξ.
Tonitruali strepitu Iovis mugiebat tuba.

Neque enim aliter quam buccis inflatis tuba canere quis possit. Ac de Iove Φυσιγνάθῳ Horatiano satis.

CAPUT QUARTUM.

De tonitruali oraculorum fragore.

Demum cum per tonitrua (i. e. per קלות *Kolot*, *voces Dei*, Exod. IX, 23.) lex olim esset Hebraeis promulgata, iisdemque constrepentibus saepenumero responsa darentur (fuit quippe genus oraculi apud Hebraeos, quod

בת קול, *Bath Kol*, i. e. *filia tonitrui* appellabatur, cum per tonitrua Deus oracula depromebat): hinc illud omnium vetustissimum apud Ethnicos Iovis Dodonaei oraculum lebetibus personantibus (a quibus et nomen invenit, quod iam aliis notatum, nam דוד, *Dud* lebetem significat) responsa promebat, non aliam certe ob caussam, quam ut tonitrualem fragorem imitaretur. Ac sane ne gratis et ad arbitrium hanc labrorum Dodonaeorum perstrepentium caussam comminisci videar; testis primum mihi prodeat Apollodorus, qui Lib. I. Biblioth. de Salmoneo sic habet: *Καὶ βύρσας μὲν ἐξηρημένας ἐξ ἅρματος μετὰ λεβήτων χαλκῶν σύρων, ἔλεγε βροντᾷν.* Ecce aeneis lebetibus tonitrualem sonorem Salmoneus mentiebatur. Frustra vero est doctissimus Lipsius, qui (Lib. IV. De Milit. XI.) nescio quod tympani genus ab Apollodoro hic indicari putat (14); sic vero latine locum interpretatur: *Et pelles detractas in curru cum aeneis lebetibus agitans, dicebat se tonare.* Primum ubinam *τὸ σύρειν* agitandi significatione occurrit? nisi vero *σείων* legendum putarit Lipsius. Deinde miror, nostrum lynceum non vidisse, nam ceteros qui id non viderint, minus miror, quartam eius loci voculam esse corruptam, atque unius litterulae additamento sanandam: nam *ἐξηρτημένας* procul dubio scripserit Apollodorus, qui sic vertendus: *Et aeneos quidem lebetes loris e curru suspensos pertra-*

---

(14) « In hac digerenda Dissertatione diu anceps fui, num omittere deberem » notulas illas, quas auctor non ad editionem destinatas, sed nullo respondente » signo ad memoriae subsidium margini illeverat, aut ad firmandum quod e » regione disputabat, aut ad solvendas obiectiones, aut ad aliquod referendum, » aut recantandum, cum opus incudi reddendum esset. Sed quoniam id semper » existimavi, magnorum hominum etiam quisquilias in honore habendas, ut » tanti viri ne quid tibi deperiret, etiam notulas illas in ima pagella ceteris » notationibus sociandas duxi; quod ideo sedulo monui, ne cui miraculo sit » Mazochium sibi non constare in orationis contextu, atque in his, quas dixi, » notulis. Harum autem unam e regione loci Apollodori, quasi recantans id, » quod Lipsius scripserat, appinxit in hunc modum = *Fortassis vera Lipsii* » *coniectura: num id tympani genus? vide apud Calmetum, Pignorium, etc.* » *Vide Plut. in Crasso p. 157. E, et Appianum in Parthicis pag. mihi 237.* » *fin.* = Cala'.

hens, *tonare se dicebat* (15). Tum et Festum testem advoco, ex quo didici, veteres, cum in scena tonitrus similitudinem imitari voluissent (credo, ut Iovem Tonantem auribus repraesentarent), id labri aenei sonitu fuisse assecutos, a Iove, uti reor, Dodonaeo sumpta imitatione. Quae postea tonitrua Claudius Pulcher alia ratione magis apposite exhibuit; sic enim ait Festus voce *Claudiana tonitrua: Claudiana tonitrua appellabantur, quia Claudius Pulcher instituit, ut ludis post scenam coniectus lapidum ita fieret, ut veri tonitrus similitudinem imitaretur. Nam antea leves admodum, et parvi sonitus fiebant, cum clavi, et lapides in labrum aeneum coniicerentur.* Ac sane tonitrua in scenicis ludis edita spectavit Plautus Amphit. V. I, 78:

Sed quid hoc? quam valide tonuit! Di obsecro vestram fidem.

Et Phaedrus V. VII. 23:

Aulaeo misso, devolutis tonitrubus (16).

Vitruvius Lib. V, cap. 7. de theatro loquens: *Seu deorum adventus cum tonitribus repentinis* (17). Et Βροντεῖον Athenis locus sub scena erat, in quo aenea erant vasa lapidibus, aliaque materia plena, quibus *βροντῆς tonitrui* fragorem imitabantur.

---

(15) Virgilius de eodem Salmoneo Aen. VI, 885:

Vidi et crudeles dantem Salmonea poenas,
Dum flammas Iovis, et sonitus imitatur Olimpi.
Quatuor hic invectus equis, et lampada quassans,
Per Graium populos, mediaeque per Elidis urbem
Ibat ovans, divumque sibi poscebat honorem,
Demens! qui nimbos, et non imitabile fulmen
AERE, et cornipedum pulsu simularat equorum.

Quo loco τὸ *Aere* de his aereis lebetibus accipiendum, neque audiendus Servius, qui hic ait, Salmoneum aereum fabricasse pontem, superque eum agitasse currus ad imitanda tonitrua, cum id omnino repugnet Virgilio, qui per *Graium populos* euntem inducit. In Eudociae Macrembolitissae Ἰωνιᾷ, Capite 861, extat Titulus: Περὶ Σαλμωνέως, καὶ τῶν ἐκ βύρσης βροντῶν. Sed quoniam opus illud Eudociae delitescit adhuc MS. nullum de eo iudicium ferri potest. Vide Fabricium Biblioth. Gr. Lib. V, Part. II, cap. 5.

(16) » Et hic in margine sequentem notulam appiotam invenio. *Addantur » hic, quae Aristophanis Scholiastes habet ad Nubes pag. mihi 76 duobus » locis linea marginali notatis.* CALA'.

(17) Videatur omnino de eadem re Pollux Lib. IV, Sect. 130.

Sed ad Dodonaeos lebetes redeo. Illud non te moretur, quod veterum nonnulli sonorem illum non lebetibus, sed tripodibus tribuunt. Id, inquam, non te frangat: nam lebetes iidem tripodes dicebantur (10): id quod ex horum locorum collatione cum aliis, quibus Dodonaei lebetes memorantur, iam egomet collegeram, antequam id iam olim ab Athenaeo (II, 2.) monitum animadvertissem; qui duo tripodum genera fuisse olim affirmat, ὃς, inquit, *καλεῖσθαι λέβητας συνέβαινεν αμφοτέρως*, quorum alter *ἐμπυριβήτης* esset, idcirco enim tribus pedibus instruebatur, ut igni superponeretur, alter ignis expers, de quo Homerus Ἐπτ' *ἀπύρους τρίποδας*. Huiusmodi *ἄπυροι τρίποδες*, seu *λέβητες* (nam et *ἄπυρον λέβητα* Homerus dixit) *αναθηματικοὶ* fuere, ut Homeri vetus Scholiastes notat. Id vero mihi argumento est, Apollineum tripodem, cui Phoebas insidens vaticinabatur, neque mensam (19), neque sellam, ut quidam sibi persuadent, fuisse, neque quidvis aliud, quam lebetem. Hinc masculo genere tripodem Apollineum veteres scriptores efferunt, quia lebes subintelligitur, quomodo plena oratione dixit Aeschylus apud Athenaeum (II, 2) de tripode *ἐμπυριβήτῃ*:

> *Τὸν μὲν τρίπους ἐδέξατ' οἰκεῖος λέβης,*
> *Αἰεὶ φυλάσσων τὴν ὑπὲρ πυρὸς ϛάσιν.*
> *Excepit hunc domesticus lebes tripus,*
> *Cujus perennis est ad ignem positio.*

De eodem vero *εμπυριβήτῃ* Homerus Od. X: *καὶ πῦρ ἀνεκαιε Πόλλὸν ὑπὸ τρίποδι μεγάλῳ*; *succendit et ignem Multum sub tripode ingenti.* Ubi eadem ratione *λέβητι* subaudias licet. Quod si tripus esset sive sella, sive mensa, muliebri genere latini utique usurpassent: quomodo Sidonius IV, Epist. 24 *tripodes sellae* dixit: mensam vero et sellam

---

(18) » Sed in margine adest notula, qua id omnino diruitur = *Od. XV, 84* » *distinguuntur sine controversia tripodes a lebetibus.* Cala'.

(19) Etsi Servius mensam fuisse putat, cui supposita Phoebas vaticinabatur; sed fallitur, ut ex iis quae dicam, planum fiet.

etiam Graeci feminino genere τράπεζαν, et ἕδραν appellant. Accedit quod sicut vetustissimum omnium Dodonae oraculum per lebetes seu tripodas promebatur, sic et Apollinis tripodes non aliud, quam lebetes fuere, quos mihi persuadeo ad tonitruorum imitationem personuisse, interea dum ederentur oracula, quo aspexisse puto Virg. III. Aen. 92. *Et mugire adytis cortina reclusis*; mugitus enim tonitruorum est, uti supra demonstravimus (20).

At enim, inquies, de cortina hoc poeta, non de tripode dixit. Verum quis iam ignorat, cortinam ac tripodem unam eandemque rem fuisse?

Quando autem in hanc sermonis partem evasimus; non celabo, quid de Apollinis cortina prope eliquaverim, missis interim aliorum (21) opinionibus, eorum etiam, qui *cortinam* rotundam adyti concamerationem, unde responsa reddebantur, interpretantur, quibus tamen Servium nonnihil favere video, qui cortinam *locum*, *unde oraculum datur*, exponit, etsi sibi minime constet (22).

---

(20) Ultimis paganismi temporibus non aliter etiam loquebantur. Trebellius Pollio in Gallienis duobus cap. 5, *Auditum praeterea tonitruum terra mugiente, non IOVE TONANTE*, refert.

(21) Quidam tradunt (Vide Potteri Archaeolog. II, 9) tripodem fuisse urnam pulvere plenam, per quam Numinis afflatus in virginem inspiratus ex eius ore proferebatur. Scholiastes in Aristoph. Lysistr. ait fuisse patulam ollam aeneam calculis plenam, ad quorum saltus vates coniiciebat. Alii vas profundum, et tribus fultum pedibus, in quod vates, adventante Numine, se se mergebat. Rhodiginus Ant. lect. VIII, 15 ex vulgari opinione fuisse sedem, cui Pythia insidebat. Tripodis tegomentum ὅλμος, qui aliis est ipse tripus.

Tripus autem iste latioe *cortina* dicebatur, quae aliis erat tripodis tegumentum, sic appellata ex nonnollis a *corio* pythonis, unde confecta erat. Aliis verosimilius *cortina* erat tentorium, in quo sacer tripus conservabatur (quod probare posse mihi videor ex nommo ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ), sic appellata a figura rotunda lebetis instar. Hinc Apollo Delphicus Iuliano παραβάτῃ respondit:

Οὐκέτι Φοῖβος ἔχει καλύβαν, οὐ μαντίδα δάφναν,
Οὐ παγὰν λαλέουσαν, etc.
Phoebus ego sine cortina, sine et augure lauru,
Fonteque vocali.

Puto enim καλύβαν, *cortinam* designare.

(22) Non inutile fuerit integrum Servii locum dare, haec enim in illud (Aen. III, 92): *Et mugire adytis cortina reclusis*, notat: *CORTINA. Locus*

Phoebi cortinam eandem esse ac tripodem, ita nt synonyma haec tria fuerint lebes, tripus, cortina, et olim mihi persuaseram, et magnos postea viros mecum consentientes comperi. Ac ne nunc quidem prorsus muto sententiam. Etenim tripodas esse lebetes, ex eo, quem modo indicavi, Athenaei loco, et aliis constat: ac templorum potissimum lebetes tripodas appellatos, ex Dodonaeis lebetibus, quos tripodas alii appellant, modo demonstrabam. Cortina vero proprie vasis genus fuit, et quidem in hemisphaerii, vel potius semiovi formam, qnales et lebetes fuere. Ad haec modo tripodi, modo cortinae veteres oracula tribuerunt, prorsus ut unius rei duae appellationes fuisse videantur. Demum cortinae vocabulo graecum ὅλμος proprie respondisse certissimum habeo, tum quia ὅλμος mortarium fuit, cujus concavitati cortina plane similis extitit, qualem e veteribus monumentis demonstrabo, in dimidiati ovi formam (hoc tantum inter utrumque interfuit, quod cortinae tum interior, tum exterior

---

unde oraculum datur. Dicitur autem Cortina, *vel quod Apollinis tripus corio Pythonis tectus est; vel quod certa illinc responsa funduntur, quasi certina .... Alii* cortinam, *quasi* ortinam *tradunt; quod inde vox oriatur.* Rursus in illud (Aen. VI, 34.): *Neque te Phoebi cortina fefellit*, ait: Cortina *dicta est, aut quod* cor teneat, ... *aut certe secundum graecam etymologiam*, ὅτι τὴν κόρην τείνει, ἤτοι τιταίνει, *id est, quod extendat puellam, ut:* Maiorque videri, Aen. VI, 49. Ridet vero has originationes Sipontinus. Et vero cui haec tanta περιεργία non ridicula videatur? Cortina quippe non magis illam Apollineam significat, quam vas fullonium et villaticum, etc. quibus stultum fuerit Serviana etyma accommodare. Illud est verisimilius a *Cortis* rotunditate dictam cortinam, quae rotundam habuit concavitatem, unde translate Ennius Caeli hemisphaerium *cavam cortinam* appellavit. De *cortis* vero rotunditate testator Cato in Orig. dicens: *Mapalia.....quasi cortes rotunda sunt.* Et mapaliorum formam discere potes ex Isidoro XV, Orig. 12, ex quo etiam cortis deformationem intelligea. Sed et a כור, *cur*, *catinus*, et a כיור, *chiior*, *lebes* non male cortina deducitur. Et כר, *cor corum*, etiam de liquidis interdum dicitur. Sed a *corte* verisimilius deduco ob eam rationem, quod sicut eb αὐλή, quae cortem significat, fit αὐλαία, sic a *corte* cortina; quae etiam aulaeum saepe notat. Quia vero cortinae ac tripodi aulaeum insternebatur (ut in Nummo ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ, et in marmore Ciccarellii, de quibus mox), idcirco aulaea fortasse cortinae nomine appellata.

superficies dimidiatum ovum referret : ὅλμȣ vero concavitas tantum sic esset, cum exterior superficies esset cylindrica), tum etiam quod quae de Apollineo ὅλμῳ apud Graecos iveniuntur, cum iis, quae de cortina dicuntur, exacte conveniunt. Ac mihi quidem, cum Apollinem *Cortinipotentem* Lucilius appellavit, Sophoclem videtur interpretatus, qui eumdem ἔνολμον nuncupavit. Atqui Aristophanis Scholiastes ad Vespas p. 318, versu ultimo τὸν ὅλμον interpretatur τὸ μαγειρικὸν ἐργαλεῖον, καὶ ὁ τρίπȣς τȣ̃ Ἀπόλλωνος, i. e. *culinarium instrumentum* (mortarium) *et tripus Apollinis.* Quod totidem verbis apud Suidam in V. ὅλμος legitur.

Ac mihi quidem dubium nullum est, quin illa cortina fuerit, quae in nummo τῶν Νεοπολίτων cum lyra conspicitur inter nummos meos, et affert etiam Antonius Augustinus Dial. V. p. 156. Vid. Tab. 1. n. 1. Eademque in marmore nuper in veteris Capuae ruinis eruto, quod est apud Franciscum Ciccarellium, comparet V. Tab II. (23). Ac ne adhuc forte dubites de cortinae figura, nummus Χερσονασίων te omnino confirmabit, (adfert idem Antonius Augustinus loco citato), in quo ejusdemmodi cortinae Phoebi sacerdos cum corona laurea, et lyra insidere conspicitur V. Tab. 1. n. 2.

(23) » Cum Mazochius iussisset in autographo, ut anaglypti icon afferretur, » et margini etiam dimidiati ovi etsi plane rudem efformationem agglutinasset, » totius marmoris integrum exemplar mihi comparandum putavi, idque optimo » praestantique Francisco Daniele sequestro, quem honoris et amicitiae caussa » nomi[illegible]o, a Paschali Ciccarellio honestissimo viro cum comite epistola eidem » Danieli accepi, in qua monuit exacte scalpturam esse elegantissimam, si » dexteram alatae imaginis manum, sinistramque alterius excipias; atque ex » muscul[illegible]s ex transverso vestium translucentibus apparere, eas virgines lineis » nebulis amictas esse. Hoc autem Ciccarellianum Marmor Mazochius iamdudum graphice depinxerat in Commentario ad Mutilum Camp. Amphit. Titulum pag. 149, notat. 90, secundae editionis; iterumque de eo mentionem » iniecerat in Spicil. Bibl. ad Genes. XLIV, 5, notat. 2, ubi virginem ex » urceo in pelvim latices effundentem auguria captare opinatus est. CALA'.

Nummus autem Νεοπολίτων, et marmor Campanum Avernalem cortinam exhibere mihi videtur, de qua Propertius IX. 1. 49.

Si modo Avernalis tremulae cortina Sibyllae
Dixit Aventino rura pianda Remo.

Nam virgo certe illa, quae in Campano anaglypto cum lyra visitur, ea est Sibylla, quae sic etiam cum capillorum nexibus dependentibus in nummo L. Torquati triumviri insculpitur V. Tab. 1. n. 5. (24): Globuli vero e singulis illis laciniis bini quaquaversum dependentes, mirum ni ad cortinam percellendam fuerint comparati, ut mugitus ille exprimeretur, de quo Poeta: *Et mugire adytis cortina reclusis.* Tum laciniae pythonis corium, quo cortina seu tripus Apollinis, teste Servio, tegebatur, forsitan exhibebunt. Atque haec cortinae deformatio esto.

Ceterum huic sententiae, quae cortinam et tripodem unam eandemque rem facit, illud incommodat, quod nonnulli veterum cortinam a tripode distinguant. Plinius (XXXIV. 3.) cortinas tripodum dixit alio nomine Del-

---

(24) Harduinus cum secundis curis Plinium edidisset, nummis ex ingenio expositis opus locupletavit, quibus interpretationibus carere poteramus. Cuiusmodi est expositio propositi nummi. Nam numisma nactus, in quo SIBYLL sine A legeretur, protinus intellexit vir acutissimus inscriptionem prorsus aliter explicandam (quid enim compendii fuit ultimam literam omittere?) et in capitales literas dissolvendam in hunc modum: S. I. BY. LL, i. e. Severus Imposuit Byzantio LLegiones. Quasi vero nec nummi celatura clamitet non esse pro aevo Severi Imperatoris; aut vero per ea tempora triumvirorum monetalium nummos habeamus. Si sic epigraphe est explicanda, quid aliud restat, quam ut muliebre illud caput Iuliam Domnam Severi uxorem, si superis placet, exhibeat, et tripus cum cortina in nummi postica parte sit novum aliquod Severianarum legionum insigne? Nam illud mitto dicere, quod in eo, qui penes me est, L. Torquati nummo, SIBYLLA ὁλογραμμάτως scribitur: ut sicubi ultimum elementum abest, extritum illud oporteat. Sed de meo nummo nihil opus fuit monere; quales et ceteros esse puto. Fac enim ab omnibus ultimam literam exsulare, an non saepissime veteres ultimam tantum literam omittebant, hoc tantum compendii facientes? De eodem Severo inscriptio est Capuae, qua dandi casu NEPOT. ABNEPOT. ARABIC. ADIABENIC. legitur; quamque integram habes in Spicil. Bibl. ad Matth. 1, 6.

phicas appellatas. *Ex aere*, inquit, *factitavere et cortinas tripodum nomine Delphicas* (25). Aristophanis Scholiastes ad Pluti initium ad finem primae paginae: Ἡ δὲ Πυθία ἐπὶ τρίποδος καθημένη χρησμῳδεῖ. καλεῖται δὲ τὸ μέρος, ἐν ᾧ κάθηται, ὅλμος; *Pythia tripodi insidens vaticinatur: et vocatur pars, cui insidet*, Holmus; ὅλμος vero, uti diximus, cortina fuit. Iulius Pollux (X. 23) operculum tripodis κύκλον, καὶ ὅλμον appellari oportere ait. Demum Prudentius (Apotheos. v. 507.) de defectu oraculorum nascente Christo ait:

Delphica damnatis tacuerunt sortibus antra,
Non tripodas cortina tegit.

Quibus ut respondeam, hoc primum statuo, tripodas initio tribus pedibus fuisse instructos, quibus consisterent, atque inde nomen consecutos. De tripode ἐμπυριβήτῃ id certum est ex Aeschyli apud Athenaeum (II, 2) versibus, quos modo recitavi:

Τὸν μὲν τρίπους ἐδέξατ' οἰκεῖος λέβης, etc.
Excepit hunc domesticus tripus lebes.

Si tripus empyribetes tribus pedibus insistebat, nil caussae fuit, cur ἀναθηματικοὶ tripodes fuissent ἄποδες, cum utrique a tribus pedibus nomen essent adepti. Atque haec olim. Postea vero templorum tripodes, seu cortinae ἄποδες esse coeperunt: ita tamen, ut quoties usus, fulcro trifido imponerentur, ut insisterent, ut in nummis his vides apud Antonium Augustinum Dialog. V, pag. 158, et 170. Vid. Tab. 1. n. 4. 5. 6. Ac fulcra isthaec antiqua sane fuerunt, ac serpentem quandoque exhibebant. Herodotus in Calliope:

---

(25) Delphica, de qua Plinius, quid sit, in Basilicis sic exponitur: αἱ τὰς τραπέζας ἔχοντες δελφῖνες. Falso: sunt enim tripodes cum cortina. Interim hoc verum est sub tripode interdum delphinem appositum, ut ex nummis constat. Sed falsum est ab illis Delphinibus Delphicas appellatas, quae ab Apolline Delphico nomen invenerunt. Sed et hoc verum esse puto Delphines Apollinis insigne fuisse, non alia ex caussa, quam ex nominis similitudine cum Delphis, et Apolline Delphico.

Deo qui Delphis est, tripus aureus ibi repositus est insistens super tricipiti ex aere colubro. Pausanias in Phocicis : Ἐν κοινῷ δὲ ἔθεσαν ἀπὸ ἔργȣ τȣ̃ Πλαταίασιν οἱ Ἕλληνες χρυσȣ̃ν τρίποδα δράκοντι ἐπικείμενον χαλκῷ : *Comune fuit Graecorum de Plataeensi praelio donum , aureus tripus sustinente aeneo dracone.* Quamvis autem tripodes pedibus seiunctis inniterentur, mansit iis tamen tripodum nomen: iidemque cortinae appellabantur, et merito, quod, ut e monumentis vidimus, dimidiati ovi formam referrent , quale olim vas illud, quod cortina dicebatur , fuit , qualis etiam pilae, quae ὅλμος appellabantur , concavitas fuit. Quod si qui magis exacte loqui affectarent, eos puto fulcro , quod procul dubio tribus pedibus existebat, tripodis nomen assignasse, pelvim vero illam, quae fulcro insisteret, et cuius tergo Pythia , quoties opus , insidebat , cortinam appellitasse. Hinc cortinas tripodes Plinius dixit; hinc etiam ὅλμον a tripode Grammaticus ille Aristophanis explanator seiunxit, cum tamen alibi unam eandem rem statuisset, minori sermonis ἀκριβείᾳ usus.

Ad Iulium Pollucem quod attinet (26).

Iam vero Prudentium quod attinet , is ea aetate vixit cum cortina pro aulaeis vulgo accipiebatur , ut in Vulgata Bibliorum versione Exod. XXVI , et alibi accipitur , itemque apud alios eiusdem aetatis scriptores. Neque enim apud antiquos ea significatio invenitur. Prudentius ergo quinti

---

(26) » Hic Mazochius haesit. Et quoniam fortasse ad alia iam concepta et » meditata properabat, opportuniore tempore solvendam distulit difficultatem, » quae ex Pollucis loco oriebatur; margini tamen, et fortasse alio tempore, » quantum ex calami et atramenti temperatura coniicere potui, hanc appinxit » notulam; ex qua illud etiam suspicari datur, Pollucem tunc temporis ad » manus non habuisse ; inquit enim : *Si vere Pollux ait ὅλμους fuisse opercula* » *tripodum, tum de sphaera apud Antonium Augustinum, pag. 158, coniiciendum* » *dimidiam fuisse tripodem , ac dimidiam cortinam , ac simile fuisse oper-* » *culum subiecto tripodi , idcirco tripodem et cortinam plerumque confundi.* » Cala'.

ineuntis saeculi scriptor, i. e. ejus aetatis, qua desita iam diu ista erant oracula (de Constantino quippe ait Hist. Miscella X, quod non solum idolorum simulacra, sed et tripodas Delphicos in circo ad spectaculum dedit), cum cortinam Apollinis audiebat, aulaeum aliquod, *quo tripus tegeretur*, statim animo occursabat, idcirco dixit: *Non tripodas cortina tegit*. Servius eodem trahendus fortasse cum ait ad Aen. III, cortinam sic appellatam, *quod Apollinis tripus CORIO pythonis tectus est*. Eadem ψευδετύμȣ hujus Serviani origo esse potuit.

Illud autem Severi in Aetna v. 295: *Magni cortina theatri*, non testudinem theatri in cortinae modum concameratam significat, sed τὰ ἠχεῖα, quae cum inversa statuerentur, cortinae Apollineae effigiem exhibebant. Vitruvius V, 5: *Ponanturque* (vasa aerea) *INVERSA, et habeant .... supposilos cuneos, ne minus altos semipede. Cuneos* hic Philander interpretatur id, quo vasa inversa sustinebantur.

Iam, ut opinor, Phoebeorum oraculorum tripodas seu cortinas cum Dodonaeis lebetibus comparavimus: illud nunc restat, ut etiam Apollinis tripus seu cortina tonitrualem fragorem expresserit, ut e diverticulo tandem in viam redeamus. De quo tamen dubitare nos non sinit Virgilius Aen. III, 92: *Et mugire adytis cortina reclusis:* Nihil enim magis quam mugitus, uti supra dictum est, tonitrua perstrepentia imitatur. Fortasse globuli illi, qui e summo cortinae tholo in omnes partes dependebant, non alium usum habuerint, quam ad cortinam percellendam. Fortassis etiam eodem tempore in intimo specûs recessu alios tripodas concutiebant, ut vehementior ac tonitribus similior mugitus exaudiretur, dum interea fundebantur oracula. Certum illud est non sine tonitribus ementitis Phoebadem vaticinatam; unde Virgilius Sibyllae domum *attonitam* dixit, idque propria significatione. Sic enim Aen. VI, 52:

Neque enim ante dehiscens
Attonitae (ἐμβροντήτȣ) *magna ora domus.*

Hinc est, quod qnoties poetae vel aliquod edi oraculum, vel vocem divinitus redditam narrant, non sine tonitribus haec transigi comminiscuntur. Exempla sunt passim obvia.

CAPUT QUINTUM.

. . . .

Vides iam, nt Ethnicorum theologornm de Iove Tonante dogmata sint consentanea sacris paginis, quae et *Vocem Dei, et sonum de ore illius procedentem* (Iob, XXXVII) tonitru appellant: ut dubitari non possit, quin FIAZZUS, seu *κρατερόστομος* Iovis Tonantis Phoenicia appellatio fuerit uti Graecis Πανομφαῖος, Βαρυόπης, Ε'υρυόπης, et c. et ex Horatii sententia *φυσίγναθος*. Et sane ex eodem themate עזז *Azaz*, unde *Fiazzus* componitur, deducitur etiam עז *oz*, *fortitudo*, qua voce Psalmistam (Psal. LXVII, 34) bis usum ostendimus, uti vehementiam, qua spiritu oris sui tonitrua Deus eliceret, graphice delinearet.

Qnoniam vero (ut id obiter moneam) a Iove tonitrus ernctari, tempestatesque immitti, veteribus persuasum fuit: idcirco tonitribus, fulguribus, ac procellis rem divinam fieri prope Alpheum consuevisse refert Pausanias in Arcadicis Cap. 29; ac de L. Scipione Barbati F. in vetustissima inscriptione legitur: DEDET. TEMPESTATEBVS. AIDE. MERETO. i. e. *Dedit tempestatibus aedem merito.* De qua aede Ovidius Fast. VI:

Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur,
Cum pene est Corsis obruta classis aquis.

Taceo illas de fulminibus procurandis ortas Romanis superstitiones, quas illi quidem Tuscis tradentibus didicerunt, qnos universae fulminum disciplinae fnisse magistros

nemo ambigit (27). Etrusci vero totam illam de tonitribus ac fulminibus scientiam, sicut et alia pleraque, non aliunde, quam ab Hebraeis hauserant, uti peculiari opere, quod de Tyrrhenorum Originibus inscribitur, est demonstratum. Quod autem Tuscorum id peculiare fuerit, ut fulmina ab Iove ipso mitti arbitrarentur, philosophis id fere negantibus, vide Senecam Natur. Quaest. II, 31, 41, 42, 45, (28). Cumque eadem fulmina haud temere illa quidem, sed ad futura sive bona sive mala praenuntianda a Iove mitti putarent: hinc illa procurandorum fulminum ad Numen placandum ab iis est excogitata religio. Hujus ergo doctrinae unum hoc fundamentum fuit, quod a Iove ipso et tonitrua, et fulmina procederent, quod non aliunde quam ab Hebraeis ad Tyrrhenos, ab his ad Romanos manavit.

Dixi iam de tonitribus ex ore Iehovae, seu Iavoh secundum Sacros Codices, seu ex ore Iovis secundum Ethnicorum disciplinam, expressis. Illud interim non dissimulabo, alio praeterea Iovis Tonantis poetico simulacro, atque illo quidem ex vulgi opinione petito, usos videri veteres, veluti si tonitrua Iupiter tum, cum curru per nubes spatiatur, rotarum fragore ederet. Idque eleganter expressit Horatius Carm. I, XII:

---

(27) Auguriorum, et fulgurum, fulminumque peremtalium, regalium, et monitoriorum disciplinam ab Etruscis esse, docet Seneca Natural. Quaest. II, 49.

(28) Apud Ovidium initio Met. XV inter ea, quae apud discipulos suos disputabat Pythagoras, unum illud fuit:

Quae fulminis esset origo: Iupiter, an venti discussa nube tonarent.

Nam illud vulgus sibi persuadebat, hoc contra philosophi demonstrare aggrediebantur. Seneca Nat. Quaest. II, 32. Tuscos (*quibus*, ait, *summa persequendorum fulminum est doctrina*) docere tradit fulmina non casu et fortuita nubium collisione fieri, sed Iovis destinato consilio, a quo fulmina mittuntur ad rerum futurarum significationes. *Nos*, inquit, *putamus, quod nubes collisae sunt, ideo fulmina emitti: ipsi* (Tusci) *existimant, nubes collidi, ut fulmina emittantur. Nam cum omnia* (Tusci) *ad Deum referant; in ea sunt opinione, tamquam non quia facta sunt significent, sed quia significatura sunt, fiant.* Mox: *Quomodo ergo significent, nisi a Deo mittantur?*

..... Tu gravi curru quatiens Olympum,
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

Et od. xxxiv:

Namque Diespiter
Igni corusco nubila dividens
Plerumque per purum tonantes
Egit equos volucremque currum,
Quo bruta tellus, etc.

Sed hoc infrequens, nec alius mihi in praesentia praeter Horatium auctor succurrit. Et hoc ipsum tamen e Scripturis expressum invenio. Nam Psal. LXVII, 34: *Qui ascendit* (hebr. לרוכב, *Lerocheb*, i. e. *qui aurigatur*) *super caelum caeli ad orientem, ecce dabit voci suae vocem virtutis.* Ubi ex aurigatione tonitrua consequi vides, ac Deum constrepente curru eadem gignere. Et Psal. LXXVII, 19: *Vox tonitrui tui in rota.* Quae duo loca, praesertim invicem comparata, cum ad tonitrus ex curru Dei perstrepente editos, nimirum poetica quadam imagine, referri facile potuissent, miror aliorsum prorsus ab explanatoribus accepta, cum novum praesertim non sit, Deum super nubes aurigantem induci, ut Psal. CIII. 3. et alibi. Sed hoc, uti dixi, rarissimum, illud vero Dei ore suo tonitrus eructantis εἴδωλον in Scripturis Sanctis frequentissimum, unde Phoenices suum FIAZZUM excogitarunt, quem nostri Iovem esse voluerunt.

CAPUT SEXTUM.

Jovem Fiazzum videri eundem ac Jovem Vesuvium.

Neapoli ne effossus hic lapis fuerit, an aliunde advectus, (nec enim grandior est, quam ut facile asportari aliunde potuerit ab horum monumentorum studiosis) scire magnopere referret, uti regio, qua numen istud ἐγχώριον Iovis FIAZZI cultum fuerit, innotesceret. Tamen cum

Gruteri etiam aetate hoc monumentum Neapoli viseretur, nihil est, quamobrem FIAZZUM Iovem Neapolitanis abiudicemus. Et numen Phoenicium civitati illi maxime convenit, in qua Phoenices frequentes fuisse versatos necesse est; quippe cum in vicinia, ac maxime Puteolis Phoenices plurimos consedisse inveniam tum in inscriptione quinta Classis X. apud Reinesium, in qua memorantur PERYTENSES (i. e. Berytenses, qui Phoenices sunt) QVI. PVTIOLIS. CONSISTUNT; tum etiam apud Gruterum MCV. 3. ubi monumentum in hanc rem quantivis pretii legitur. Extat enim ibi epistola Tyriorum, qui Puteolis stationem habebant ad Tyri metropoleos Senatum, ac Populum conscripta quartodecimo Marci Antonini Philosophi anno, ut ex notato ibi Consulum collegio intelligitur. Quae quidem epistola monet, ut sicunde Neapolim marmor, de quo tamdiu commentamur, allatum fuerit, non aliunde, quam Puteolis allatum credam. Verum utut est, illud certe negari non potest, quin Tyrii isti stationarii Deorum patriorum, et in iis Fiazzi religionem Puteolis et in vicinia propagarint. Mentio enim in ea epistola fit de Deorum patriorum cultu ac templis, in quem cultum Tyrii Puteolis consistentes multas expensas facerent: ΚΑΙ ΑΝΑΛΙΣΚΟΝΤΕΣ ΕΙΣ ΘΥΣΙΑΣ ΚΑΙ ΘΡΗΣΚΕΙΑΣ ΤΩΝ ΠΑΤΡΙΩΝ ΗΜΩΝ ΘΕΩΝ ΕΝΘΑΔΕ ΑΦΩΣΙΩΜΕΝΩΝ ΕΝ ΝΑΟΙΣ etc. Illud autem quod me impellit, ut Puteolis potius lapidem advectum coniiciam, est quod plurimos illinc Neapolim allatos scio. Et Puteolis *Iovem Damascenum* (qui etiam ex Grutero XX. 2. innotuerat) cultum fidem facit inscriptio Puteolis allata Neapolim apud Vignolium pag. 187. Damasceni ita Iovis cultui addicti erant, ut Ephesii Dianae. Itaque Iulianus Epist. 24. *τὴν Διόσπολιν ἀληθῶς* Damascum appellat. Ergo Fiazzi *ἐπωνυμία* a Damascenis profecta videtur, aut certe a Syris apud Puteolos diversantibus.

Sed ubi ubi marmor fuerit, certe Iovis Fiazzi cultus, ac templum Vesuvii montis eruptiones spectare potuit; idemque mihi fuisse videtur Fiazzus Iupiter cum Iove Ve-

suvio, cujus Capuanum marmor, alibi a me allatum, commeminit (29). Cum enim veteres Vesuvium quanta maximâ vehementiâ fulgura ac tonitrus eructare conspicarentur, praesens ibi Iovis Tonitrualis numen sunt venerati (30), ac montem ipsum *Iovem Vesuvium* appellarunt, ut ex Capuano marmore discitur, quod sic habet: IOVI VESUVIO. SAC. Nisi mavis non Vesuvio monti Iovis appellationem fuisse tributam, sed Iovi potius Vesuvii ἐπωνυμίαν, sumpta ab eius montis eruptione metaphora, eo quod Iupiter Vesuvii instar violentia maxima ex ore suo fulgura et tonitrua eliceret. Quem vero nostri *Iovem Vesuvium* compellabant, verisimile est a Tyriis, aliisque Phoenicibus frequentia per eum litoralem tractum commercia agitantibus IOVEM FIAZZUM fuisse nuncupatum. Hinc primum in voce (IOVI) elementum longissimo ductu notarunt, quia Vesuvius non tonitribus solum Iovem Tonantem imitabatur, sed sua etiam proceritate Iovem ὕψιςον, de quo supra diximus, referebat. Accedit quod qui Iovi FIAZZO votum nuncuparunt *Flavius Antipater*, et *Flavia Artemisia* coniuges,

---

(29) » An revera Mazochius eam inscriptionem in aliquo edito opere attu-
» lerit nec succurrit, et diligenter indagare piguit. Sed fortasse allaturus erat
» in eo Volumine, in quod Campanas omnes Inscriptiones cogere in animo
» habebat, quod in Commentario in Mutilum Campani Amphitheatri Titulum
« spoponderat in ea notula, quam in nupera illius Commentarii editione in
» Praefatione attuli. Ut ut tamen est, affert Peregrinius in De Campania Fe-
» lice II, 22; eamque Capuae extare ait in duas disiectam partes dissitis sane
» locis collocatas, atque ex eius non satis eleganti caelatura, inclinatis ad
» barbariem saeculis scalptam suspicatur. In quem Peregrini locum haec adnotat
» Mazochius: *In excerptis meis ex Tom. I Muratorii mentio cuiusdam eruptionis*
» *Vesuvianae VII saeculo. Narrationem Chronographi Vaticani de eruptione*
» *Titi, quando Christiani Vesuvium infernas esse fauces dictitabant, edidi*
» *ad Kalen.* Neap. pag 393. CALA'.

(30) In Notitia Graeca apud Carolum a S. Paulo Tom. I, pag. 44: *Et apud eam videtur mons, qui vocatur Aetna, in quo, si qua fides, divinitas est, quandoquidem diu noctuque in vertice montis ignis est, unde fumus ascendit.* Holstenius vertendum putat *sulphur*, ubi graece est θεῖον, non vero *divinitas*. Sed quid opus erat mollire iis verbis *si qua fides*? Ergo bene θεῖον *divinitas* vertitur.

ii libertini generis fuisse videntur, uti graeca cognomina arguunt, ex aliquo Vespasiani, aut filiorum eius, i. e. Flaviae gentis liberto orti; nisi si forte ipsimet liberti Flaviorum fuerint, atque illa tempestate vixerint, qua celebris sub Tito montis eruptio mortales perterrefecit. Hinc Christiani homines, ut Ethnicos ab ea superstitione avocarent, qua montem illum, veluti Iovem, venerabantur, illud incendium e tartareis specubus violentiâ maxima erumpere, in vulgus spargebant, si fides est Gerasimo Monacho, cujus ἀποσπασμάτιον alibi dedimus (31). In Pionii M. oratione qua adversus Gentiles, et Hebraeos usus fuit in Actis apud Ruinartum num. IV versus finem, naturalia omnia incendia cum inferni igne sociari ait.

CAPUT SEPTIMUM.

Altera Iovis Fiazzi *interpretatio.*

Etsi quae de FIAZZO hactenus sum commentatus, viris doctis haud improbatum iri confido, tamen si cui, ut sunt hominum ingenia, ea non arriserint, alteram praeterea interpretationem in medium proferam, aliorum arbitrio, utram probaturi sint, relicturus.

Ego igitur sic statuo, cognomen istuc FIAZZUS, seu κρατερόστομος ad sex dierum opificium non absurde referri posse. Cum enim Deus O. M. verbo suo hanc rerum universitatem condidisset: ecquis dubitare potest, quin os illud Dei efficacissimum magnae admirationi fuerit non apud Hebraeos solum, sed apud vicinas etiam nationes, Phoenices potissimum, cum de illo admirabili mundi conditu inaudirent? Nam et Longino diu inter Phoenices versato, quippe Zenobiae Palmyrenorum Reginae praeceptori, et ab intimis consiliis, in eo libro, quem περὶ ὕψους reliquit, nihil tan-

---

(31) In Commentario in Vetus Marmoreum Kalendarium pag. 393.

topere in Mosis libris admirabile, planeque sublime visum fuit, quam quod initio legum Deum dixisse scribat: *Quid? fiat lux, et facta est: fiat terra, et facta est.* Hinc vero, nimirum ut illud summopere ἐνεργητικὸν Dei os praedicarent, fieri potuit, ut Iehovam, sive Iovem a Dei summo nomine detortum פי עז, *Phi—az*, i. e. κρατερόστομον detortum appellarint. Nam quanta demum efficacia opus fuit ut vocaret *Ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt,* uti diserte Paulus ad Rom. IV. 17? Hinc sane Psal. CIII. (Hebr. CIV). quo de sex dierum opificio explicatissime agitur, vox illa, qua (Gen. I, 9) *Dixit Deus: congregentur aquae.....in locum unum*, vox, inquam, illa, qua aquas in suas stationes coegit, non quaelibet vox, sed *Vox tonitrui* appellatur, i. e. vox illa validissima, qua (ut Cap. II dixi) toto nisu Deus eructare tonitrua in Scripturis describitur. Sic enim commate eius Psalmi septimo: *Ab increpatione tuâ fugient*, i. e. fugerunt, *a voce tonitrui tui formidabunt*, i. e. trepide surripuerunt se. Id ipsum vero de voce, qua ceterorum dierum opera prodiderunt, iure est intelligendum. Et Psal. XXII, 6: *Verbo Domini coeli firmati sunt, et SPIRITV* (h. e. flatu) *oris eius omnis virtus eorum.* Familiaris enim in Psalmis ἐπεξήγησις facit, ut non Spiritum Sanctum hic intelligamus, sed tantum flatum Divini oris (32).

Quae si similia veri visa fuerint, nec illud quidem magnopere absurdum videri possit, Iovem SABATIVM in inscriptione 206. Classis I. apud Reinesium, quam supra recitavi, memoratum, ad septimae diei, i. e. Sabbati quietem, qua Deus *Requievit ab universo opere, quod patrarat*, esse referendum.

Nec sum nescius Σαβάζιος celeberrimum esse, si quod aliud, Bacchi nomen a Phrygibus, ut aiunt, primum inventum: unde Aristophanes Sabazium modo Φρύγα, modo

---

(32) Vide quae notavimus ad Exod. XV, 10: *Flavit Spiritus tuus.*

Φρύγιλλον appellat. Agunt vero de Sabazio, qui Bacchus est, et Aristophanis aliorumque poetarum Scholiastae, et veteres Lexicographi, et alii. Sed nihil magnopere absurdi dicturus esse mihi videor, si a Iove cognomen istud ad Bacchum redundasse contenderim: quoniam ex Macrobii opinione Iupiter, Bacchus, ac ceteri fere omnes Dii unum idemque numen fuisse, omnesque ad Solem referendi esse videntur.

Revera ut ΣΑΒΑΤΙΟΣ Iovis potius, quam Bacchi appellatio fuerit, eamque appellationem a Iove potius ad Bacchum, quam ab hoc ad Iovem fuisse traductam credamus, luculenta in primis Clementis Alexandrini in Protreptico auctoritas facit; qui cum quae quondam Iupiter in serpentem conversus perpetrasse diceretur, enarrasset, tum eam esse caussam subiungit, cur sacrorum Iovis Sabaziorum serpens τȣ͂ κόλπȣ διελκόμενος symbolum esset: Σαβαζίων, inquit, μυςηρίων σύμβολον τοῖς μυομένοις, ὁ διὰ κόλπȣ Θεός. Δράκων δέ ἐςιν ȣ̂τος, διελκόμενος τȣ͂ κόλπȣ τῶν τελȣμένων, *Sabaziorum mysteriorum symbolum iis, qui initiantur, est insidens sinui Deus: nimirum anguis e sacratorum sinu diffluens.* Adstipulatur et Iulius Firmicus De Error. Profan. Relig. *Sabazium*, inquit, *colentes Iovem, anguem, cum initiantur, per sinum ducunt.* Iovis Sabatii meminit etiam Valerius Maximus I, III, 2: *Idem*, inquit, *qui Sabatii Iovis cultu simulato mores Romanos inficere conati sunt, domos suas repetere coegit.* Et Orpheus in Hymno, qui inscribitur Σαβαζίȣ Θυμίαμα:

Κλῦθι πάτερ, Κρόνȣ υἱὲ Σαβάζιε, κύδιμε δαῖμον,
Ὃς Βάκχον Διόνυσον, etc.

Audi pater Saturnie etc.

Sacra autem Sabazia non Bacchi solum fuisse, sed etiam Cereris, ostendit Arnobius, qui sacra Cereris Sebadia (33)

---

(33) In inscriptione apud Grut. CCCCXXXI, 7 *Sacra Savadia* dicuntur Plura Salmas. in Pium Capitolini pag. 269, col. 6.

quoque appellat, meminitque etiam serpentis in sinum dimissi, quod est Sabaziorum Sacrorum symbolum ex Clemente Alexandrino. Haec igitur habet Arnobius Lib. V *Advers. Gentes*, de Cereris sacris loquens: *Tum illum citabimus Tarentinum notumque senarium, quem antiquitas canit dicens* :

Taurus Draconem genuit, et taurum Draco. (34).

Ipsa novissime sacra, et ritus initiationis ipsius, quibus Sebadiis nomen est, testimonio esse poterunt veritati : in quibus aureus coluber in sinum mittitur consecratis, et eximitur rursus ab inferioribus partibus atque imis (35).

Ad haec praeter Reinesianam inscriptionem Clas. I, num. 256, tres alias apud Gruterum invenio XXII, 4, 5, 6, quibus Iovis Sabatii fit mentio; nullam vero hactenus inveni, qua Baccho id epithetum tribuatur. Ea vero argumento mihi sunt Iovis eam fuisse propriam appellationem, ab eoque ad Bacchum translatam. Quoniam autem Iupiter non alius Ethnicis, quam Iudaeorum *Iao* fuit, idcirco Iovi et *Fiazzi* appellationem a summa oris ἐνεργείᾳ, (36) qua cuncta verbo procrearit, et Sabazii, seu sicut in Reinesiano marmore legitur, *Sabatii* cognomentum a septimae diei quiete inhaesisse coniicio.

---

(34) Senarius graece sic habet :

Ταῦρος δράκοντος, καὶ δράκων ταύρου πατήρ.

(35) » Hunc Arnobii locum ex aliorum fide hic recitasse Mazochium patet » ex subiecta notula, quam hic ex more adscribam = *Expendendus est locus* » *apud ipsum Arnobium, num hic de Bacchi Sacris loquatur, an de Cereris,* » *quae etiam Sebadia dicerentur: sed prius malo.* Cala.

(36) Quis autem negaverit Gentiles vocem prope infinitam Iovi tribuisse ? Stentorem quidem Homerus Il. E, 786. quinquagies plus ceteris hominibus clamasse refert :

ὃς τόσον αὐδήσασχ', ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα ;

Plus aliis quinquagenis clamare suetus.

At Martis quippe Dei, vocem μυριοπλάσιον fuisse ait eodem Lib. 859 :

ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον ἢ δεκάχιλοι Ἄρης.

Tantum intonuit Mars ferreus ore ,

Quantum millia sive novem, seu dena virorum.

Quid de Iove cogitandum, quem plus ceteris simul Diis valuisse viribus Homerus saepenumero praedicat ?

Atque haec mea est altera divinatio, cui tamen priorem illam facile antepono, qua *Fiazzum* non alium, quam Tonantem esse demonstravi.

Nunc quoniam de Iove Sabazio mentionem inieceram, quid de Sabatiis sacris coniectarim, in medium proferam.

CAPUT OCTAVUM.

De Sacrorum Sabaziorum origine, et etymo latius disputatur.

Sacrorum Sabaziorum sive Thracica, quod veteribus nonnullis placuit, sive, quod plures prodiderunt, Phrygia appellatio fuerit; illud inter omnes antiquos convenit barbaram esse vocem, ac minime Graecam. Quoniam autem coniecturis tantum res ista transigitur, videamus an non Hebraicae originis tum ipsa mysteria, tum etiam appellatio censeri possit.

Ac de voce quin sit Hebraica, minime dissentiunt Bochartus, et ante hunc Heinsius in *Aristarcho Sacro*, qui derivant a סבא, *Saba*, *potare*, *inebriari*. Per me licet, a סבב, *Sabab*, *circuire* (nam in iis Sacris frequentes erant circuitiones) aut undelibet deducas; modo illud constet eam vocem non esse in Graecia natam, sed ex Oriente advectam, id quod veteres ultro fatentur. Τὸ γὰρ εὐάζειν, inquit Heracleotes, οἱ ΒΑΡΒΑΡΟΙ Σαβάζειν φασίν. Quod et ceteri Grammatici transcripserunt. Syri vero, aut quicumque Orientales Graece nescirent, Barbari Graecis dicebantur. Notum illud Horatii Epist. I, 11, 7:

Graecia Barbariae longo collisa duello,

hoc est Phrygiae.

Et barbara ergo vox fuit τὸ Σαβάζειν, et idem prorsus quod τὸ Εὐάζειν significabat: sicut illas vociferationes Εὐοῖ, et Σαβοῖ synonymas fuisse veteres testantur. Hinc unde τὸ Εὐάζειν, inde etiam et τὸ Σαβάζειν venisse oportuit. Iam de prioris vocabuli, imo et caeremoniarum ipsarum Bac-

chicarum origine nemini inaudita esse possunt, quae Clemens Alexandrinns in Protreptico de Bacchi mystis loquens habet: Τελίσκυσι τὰς κρεανομίας τῶν ἐρίφων, ἀνεςεμμένοι τοῖς ὄφεσιν ἐπολολύζοντες Εὔαν ἐκείνην, δι' ἣν ἡ πλάνη παρηκολέθησε, καὶ ὁ θάνατος ἐπηκολέθησε, καὶ σημεῖον Ὀργίων βακχικῶν ὄφις ἐςὶ τετελεσμένος· αὐτίκα γὖν κατὰ τὴν ἀκριβῆ τῶν Ἑβραίων φωνὴν τὸ ὄνομα τὸ Εὔα δασυνόμενον, ἑρμηνεύεται ὄφις ἡ θήλεια; *Hoedinarum carnium distributionem celebrant, coronati serpentibus, ululantes Evam illam, per quam error cum morte subsecutus est; insigne Orgiorum Bacchicorum est serpens consecratus. Igitur iuxta accuratam Hebraicae vocis significationem, nomen Eva si aspiratur, exponitur serpens femina.*

Aureus sane Alexandrini locus dignus est, qui nova luce perfundatur. Eo sane loco et Evantium origo, et Bacchicae illius vocis Evoe etymologia duplex commonstratur, una ab omnium parente Eva, quam etiam serpentes harum caeremoniarum peculiares spectare videantur; altera ab חויא ...... quod Syris *serpentem* significat: ita ut serpentibus impliciti, atque Evoe vociferantes, serpentem illum compellare viderentur, qui Evae imposuit. Illud fortasse incommodat, qnod deest in *Evoe* aspiratio, quae in Syriaco serpentis vocabnlo reperitur. Sed commodum auxilio mihi venit Eustathius, qui τὰ Εὐοῖ, et Εὐὰν, et similia a nonnullis aspirari testatur. Haec enim habet ille, in Dionysii Perieg. ver. 704: Ταῦτα δὲ οἱ μὲν ἐδάσυνον, ὡς ἐνθυσιαστικὰ πρωτόθετα ἐπιῤῥήματα, οἱ δὲ ἐψίλουν, ἀντὶ τῦ Εὖ οἷ, τυτέςιν αὐτῷ: *Haec vero ab aliis aspirantur veluti enthusiastica adverbia, ab aliis non, veluti sit* Εὖ οἱ, *bene ei sit.*

Accedit, quod non alio serpente in huiusmodi caeremoniis nterentur, quam cui Pareas nomen est, ut e Demosthenis testimonio, quod deinceps producam, intelligitur. Is autem serpens in Syria gignitur, teste Aetio (37).

(37) Aetius Tetrabiblo IV, ser. I, cap. 31: *Pareas*, inquit, *serpens in Syriae locis reperitur: colore autem alii quidem aes referunt, alii nigricant; Morsum autem etiam si inflixerint, non enecant*, etc.

Quare inde etiam mysteria ista omnino petenda sunt. Hinc non iniuria Paream Aesculapii serpentem dictum esse ex Aeliano VIII, 12 (38) apud Aldrovandum legi, nam Aesculapius, ut initio huius Dissertationis dixi, e Phoenicia prodiit. Accedit hoc etiam, quod Paream κατ' ἐξοχὴν serpentem appellatum Aldrovandus (quo auctore non memini) tradidit: quod mirifice nostram, imo et Clementis Alexandrini opinionem iuvat, quod τὸ Εὐοῖ ab חויא ...... *Serpens* manarit. Demum non temere Paream potissimum iis sacris adhibitum mihi persuadeo, non solum, quia eius morsus, Aetio teste, innoxius est; verum ob illam etiam, puto, caussam, quod cum Παρείας a genis dictus esset, quod buccas fortasse haberet humanis propius accedentes, idcirco serpentem illum aptius exhiberet, qui cum Eva sermones miscuisset, cui propterea humanum caput vulgo pictores affingunt.

Iam satis multa dixi, quo Evantium caeremonias e Syria profectas, et ex Hebraica historia detortas, imo sollemnem etiam Evantium vocem Εὐοῖ inde venire demonstrarem. Ex quo illud consequens est, quod propositum mihi fuit, τὸν Σαβασμὸν, et sacra Σαβάζια, si rem spectas, inde etiam arcessenda: idem enim τὸ Σαβάζειν, quod τὸ Εὐάζειν, et mystae Εὐοῖ, et Σαβοῖ tamquam synonymas voces emittebant. Sed et vocem etiam Σαβοῖ, et των Σαβαζίων ex Hebraicis rebus venisse, noto illo quidem, sed valde tamen apposito Plutarchi loco demonstraturus esse mihi videor, qui cum extremo Τῶν Συμποσ. Lib. IV. inter Iudaeorum, Bacchique sacra comparationem institueret, in eoque totus esset, ut Bacchum a Iudaeis coli probaret (cum contra, si mens non laeva fuisset, universam Bacchicam superstitionem a Scenopegiae Iudaicae ritibus imitatione sumptam fateri debuisset), illud etiam adiecit: Οἶμαι καὶ

---

(38) » In margine = *Vide locum*. Cala'.

τὴν τῶν Σαββάτων ἑορτὴν μὴ παντάπασιν ἀπροσδιόνυσον (39) *εἶναι. Σάββυς γὰρ καὶ νῦν ἔτι πολλοὶ τὺς Βάκχυς καλῦσι, καὶ ταύτην ἀφιᾶσι τὴν φωνὴν, ὅταν ὀργιάζωσι τῷ Θεῷ* (est hic parva quaedam lacuna) *σιν ἐςὶ δήπυ καὶ παρὰ Δημοσθένυς λαβεῖν, καὶ παρὰ Μενάνδρυ*: *Opinor autem Sabbatorum ferias non plane a Baccho esse alienas. Quod enim Sabbos etiamnum multi Bacchos* (i. e. Bacchi sacris initiatos) *appellant, eamque edant vocem, dum orgia Bacchi celebrant......licet et e Demosthene ostendere, et e Menandro* (40). Ad Demosthenis locum a Plutarcho citatum digitum intendit Harpocration in voce Σαβοῖ. Est enim ex Orat. *ὑπὲρ Κτησιφῶντος*, ubi inter alia multa Demosthenes Aeschini obiecit, quod Bacchi sacra celebrare non esset veritus, *τὺς ὄφεις τὺς παρείας θλίβων, καὶ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς αἰωρῶν, καὶ βοῶν εὐοῖ σαβοῖ*, etc. Ex quo sane loco Plutarchi mutilus locus suppleri potest, planeque apparet hasce bacchantium voces Εὐοῖ et Σαβοῖ *Evoe Saboe* fuisse synonymas.

Sed ut ad Plutarchum redeam; ille Scenopegiae ritum, et Sabbatorum ferias a Bacchi sacris imitatione sumta sibi persuasit perversa utique ratione usus, ac caelum terrae permiscens. Nobis in alia omnia eundum, et quoniam ethnicas istas enthusiasticas caeremonias ab Hebraicis rebus profectas affirmavimus, insuper et Sabaziorum vocem ab Hebraeorum Sabbato arcessendam, Plutarcho indicante, haud temere coniectamus. Nam cum nefanda illa sacra ad Hebraeis Ethnici hausissent, cur non et appellationem mutuarentur? Hebraei vero, quod omnes norunt, sollemnitates omnes Sabbata appellant. Inde Sabaziorum sumpta appellatio, inde τὸ Σαβοῖ, et similia. Et sane celebre Sabbatorum Hebraicorum nomen fuisse verisimile est: quare quidquid ad

---

(39) Vocem ἀπροσδιόνυσον, quae in adagium abiit, ut quodcumque ad rem non pertineret, id ἀπροσδιόνυσον diceretur, proprie hic a Plutarcho adhibitum vides.

(40) » E regione loci Plutarchi haec adnotata invenio = *De aurea vite* » *in templo Iudaico, et Baccho a Iudaeis culto Lipsius Elector. II, 5.* Cala.

Palaestinam pertineret, eo nomine donarunt. Hinc memoratur a Pausania (in Phocicis XII) παρὰ Ἑβραίοις τοῖς ὑπὲρ τῆς Παλαιστίνης γυνὴ χρησμολόγος, ὄνομα δὲ αὐτῇ Σάββη: *mulier fatidica apud Hebraeos Saba nomine*. Crediderim enim Sabbam e celebri Pythonissa בעלת אוב, *Baalath Ob*, *Domina Ob* hebraice dicta venisse: ex Obba vero Sabbam fecisse, quia Sabbati appellatione magis tritas haberent aures.

Quod Plutarchus ait Bacchi sacris initiatos Σάββους fuisse dictos, id etiam apud Harpocrationem invenio. Etsi Aristophanis Scholiastes in Aves pag. 402 non solum initiatos, sed etiam ἀφιερωμένους αὐτῷ (Baccho) τόπους dictos affirmat. Quoniam autem in Harpocrationis mentionem incidimus, allegatur ab eo quidem Ἀμφίθεος δευτέρῳ περὶ Ἡρακλείας, *Amphitheus in secundo de Heraclea*. Hunc eundem cum Heracleote, qui ab Aristophanis Scholiaste pag. 402, et Phavorino producitur, Maussacus in notis arbitratur. Quod et tuto concedi, et sine periculo negari potest. Quod autem in Harpocratione pro δευτέρῳ reponit δωδεκάτῳ, id vero non assentior: non quin sciam Aristophanis interpretem, qui Heracleotae locum producit, habere ἐν τῷ ιβ, et Phavorinum (41) ὁλογραμμάτως posuisse ἐν τῷ δωδεκάτῳ: sed quod Marcianus Heracleotes cum Artemidori Ephesii libros undecim contraxisset, totidem ex iis libros fecit; ut *Duodecimus* qui est apud Scholiasten, et Phavorinum (qui Scholiasten transcripsit) procul dubio mendosus sit, ac potius ex Harpocratione videatur emendandus Scholiastes (modo Harpocrationis Amphitheus idem cum Heracleote fuerit), ac pro notis ιβ. reponendum dumtaxat β. Quod vero Marcianus non ultra undecim libros scripserit, ipse testatur in eorum librorum prologo, qui adhuc superest, ubi et Artemidori libros undecim in epitomen redegisse

(41) Phavorinum quamquam minus antiquum lexicographum, idcirco testem produxi, quod ex eo nonnulla in eius loci notis Maussacus mutuatus videatur, ut illam in Heracleota emendationem εὑρίσκομεν συλλογιζόμενοι· Neque enim sine operae pretio Nucerini Episcopi Lexicum teritur.

se profitetur, et hoc amplius divisionem librorum undecim retinuisse: Καὶ τὴν διαίρεσιν, inquit, τῶν ιά βιβλίων φύλαξας.

Sed iam de fece haurire mihi videor; non quod ista de Sabaziis exhausta sit materies (quis enim garriendi finis sit, ŝi alios transcribendi cupido incessat?), sed quod ea tantum exponere deliberarim, quae mecum egomet cogitarim. Quare

Iam satis est, ne me Crispini scrinia lippi
Compilasse putes, verbum non amplius addam.

AD CAMPANAM INSCRIPTIONEM

PARERGON

DE PUBLICIS, ET PUBLICIIS.

Ante aliquot annos cum Vir Cl., mihique amicissimus Josephus Morconius Cippum, sive Aram Sepulcralem in Agro Campano effossum sibi comparatum prae suis aedibus posuisset, αἰνιγματῶδες visum est nonnullis Viris Eruditis Elogium, quod coacta, atque exili litera scalptum ibi visitur: quod tale est.



Uno latere Patera, altero Urceolus sunt insculpta de more.

Ac mihi quidem haec maxime interpretatio animum subiit, quae una verissima visa fuit: SEDATO COLoniae (Capuae servo publico Phronime filia, et ejusdem Coloniae famula, quae post libertatem acquisitam nomen a Campana Colonia sumpsit, ac dicta fuit) CAMPANIA PHRONIME. PATRI. etc. Qua in interpretatione quamquam plana sunt omnia, tamen Amici suaserunt, uti rem latius diducerem, ac primum de servis Civitatum, tum de earumdem libertis, hoc est de Publicis, ac Publiciis disputarem.

Servorum duo fuere genera: alii publici Civitatum, Collegiorum, Corporum, Templorum, alii peculiares, sive privatorum, sive principum fuerunt; de utrisque tum in Scriptoribus, tum potissimum in Inscriptionibus plurima est mentio. Ut apud Fabrettum pag. 295. n. 246. AGELE AVGusti VERNE. PECVLiari, et pag. 307. n. 309. ARAPS. CAES. N. SER. PECVLIARIS. LAMPADARius. In servis Imperatorum hoc additum aliquando, ut a servis Principum fiscalibus peculiares distinguerentur.

Publicorum frequentior mentio. Apud eumdem Fabrettum pag. 337. n. 42. BITHI. . PVBLICI. et n. 507. RESTITVTVS. PVBLICVS. Plerumque nomen ejus, qui servitio publico addixisset, additur, sed inflexum. Itaque publicos servos e Cypro allatos Clodius quidem a se Κλωδίους, hoc est *Clodianos* vocari adnitebatur, quod ipse Catonem in eam provinciam misisset. Sed Catone obnitente *Cyprii* tantum appellati fuerunt, cum interim et eorum quidam ipsi se Πορκίους hoc est *Porcianos* dicerent: ut est apud Dionem lib. 39. Ita et Corneliani dicebantur, quos Sylla Cornelius ex proscriptorum servis publicos effecisset, ut auctor est Appianus. Horum e numero fuisse Fabrettus putat Felicem, cujus meminit hoc apud eumdem elogium pag. 337. n. 508. FELICI. CORNELIANO. PVBLICO. CVRIONALI. etc. de quo tamen est, quod du-

bitem (1). In eumdem modum apud Grut. pag. 306. n. 4. *Hermes Cesennianus Publicus Pontificum :* pag. 307. n. 3. *Apolaustus Modianus*, *et Apolaustus Claudianus publici Septemvirim Epulonum :* et apud Fabrettum pag. 336. n. 504. *Magnus Publicianus publicus XV. Vir* S. F., et pag. 337. n. 506. *Philoxenus Iulianus publicus de Porticu Octaviae a Bibliotheca Graeca.*

Ac de servis publicis coloniarum res est adeo in Inscriptionibus pervulgata, ut exempla afferre supervacaneum putem. Sicut autem post servi nomen proprium domini nomen casu patrio adnectebatur, ita et in coloniis, municipiisque fiebat. Itaque in hoc Marmore SEDATO COLoniae supple *hujus Campanae* (ubi marmor positum) *servo*.

Quandoquidem vero Sedati hujus filia Phronime libertatem consecuta fuerat, cur eadem *Campania* dicta fuerit, non est dictu difficile. Iampridem enim Fabrettus pag. 434. admonuit, civitatum libertos ab eadem civitate nomen derivativum sortitos esse. Itaque ibid. n. 14. ex Grutero affertur: *VEIENTIVS.IANVARIVS* Vejentium libertus: n. 15. et 16. TI. CLAVDIVS. MVNICIPI. *Claudiae* CELEIAE. LIBertus. FAVOR. Apud eumdem pag. 435. n. 17. P. PISAVRius. COLoniae (Pisauri, ubi lapis extat) LIB. ACHILLAS: n. 18. in lapide Reatino REATINVS SALLVSTIANVS. REIP. REAT. LIB. Postremo n. 19. in Aricina Inscriptione (huic nostrae persimili, propterea quod pater Aricinorum servus, filius eorumdem libertus deprehenditur) legitur: PRIMIGENIVS. R. P. ARICI-

(1) Est, inquam, quod dubitem: quandoquidem Felix iste Cornelianus, de quo Marmor Fabretti loquitur, servus publicus fuit: illi vero *Corneliani*, de quibus Appianus in 1. τῶν Ἐμφυλ. eadem opera donati libertate fuerunt: τῷ δὲ δήμῳ, ait ibi Appianus, τοὺς δούλους τῶν ἀπεσφαγμένων τοὺς νεωτάτους τε, καὶ ἰσχυροτάτους μυρίων πλείους ἐλευθερώσας ἐγκατέλεξε· καὶ πολίτας ἀπέφηνε Ῥωμαίων, καὶ Κορνηλίους ἀφ᾽ ἑαυτοῦ προσεῖπεν. Sed fieri potest, ut praeter illam valentiorum myriada, quos libertate donatos publico addixit, et Cornelianos a se nuncupavit, de quibus loquitur Appianus; alios quoque multos in servili conditione relictos, atque ex privata in publicam servitutem traductos, *Cornelianos* nihilominus jusserit appellari

NORVM. SER. ARC. CVRATOR. II. CVM. M. ARRECINO. GELLIANO. FILIO. CVRATORE. I. Hinc nimirum intelligis, cur in nostro elogio, quae in servili conditione PHRONIME dicebatur, eadem libertatem a Campanis adepta CAMPANIA PHRONIME dicta fuerit. Ac plures sane Campanios ingenuos, imo et honoribus functos in nostris marmoribus nacti sumus, omnino, ut putamus, ex aliquo liberto coloniae ἀνέκαθεν profectos: sicut et in Venafranis Inscriptionibus Venafranios multos reperi, in Atinatibus, Atellanis, Telesinis, Æserninis etc. (quod equidem meminerim) in eumdem modum.

Hinc Livii locus extremo lib. IV. de Arce Artenae a servo quodam prodita, me judice, est emendandus. *Taedioque recessum inde foret, ni servus arcem Romanis prodidisset......... Proditori praeter libertatem, duarum familiarum bona in praemium data. Servius Romanus vocitatus.* Non dubito, quin *Romanius* verum nomen illi inditum fuerit; nam *Servio* ei praenomen fuit ex eo quia servitutem servierat; tum quia a Romanis libertatem est consecutus, non *Romanus* (quae forma cognominis, non nominis gentilitii est, quod in IVS ferme desinit) sed ROMANIVS fuit appellandus. Postremo quod antiquum ei servo nomen erat, quod Livius sive tacuit, sive ignoravit, id, uti fit, in cognomen transiit.

Nec minus collegiorum liberti ab iisdem nomina derivabant. Apud Fabrettum pag. 433. n. 4. T. VELATIVS. ACCENSORVM. VELATORVM. L. GANYMEDES. Sicut hic Velatius dictus fuit, quia Accensorum Velatorum libertus, sic alter apud eumdem pag. 434. n. 13. FABRICIVS CENTONIVS audit, quia fabrûm et centonariorum libertus; quae Inscriptio sic habet: FABRICIAE. CENTONIAE. ARETHVSAE. VXORI. OPTIMAE. ET. CHRESIMAE. FILIAE. CARISSIM. FABRICIVS. CENTONIVS. COLLEGIORVM (puta fabrûm, et centonariorum) LIB. CHRESIMVS.

Nec tamen id perpetuo observatum, ut a coloniis,

aut collegiis nomen derivativum sibi liberti inflecterent; nam ex multis exemplis comperi aliquando communi omnibus nomine Publicios fuisse appellatos; ita ut qui in servitute nomine appellativo *Publici* (1), iidem per manumissionem *Publicii*, sive uno ex tribus Romanorum nominibus, tamquam nomine proprio dicerentur. Apud Grut. pag. 258. n. 5. Singiliae in Hispania in ruinis Nescaniae oppidi legitur hunc in modum.

NVMINI . DIVORVM
AVGG.
PVBLICIVS . FORTVNATVS
LIBERIVS . M . F
NESCA . ARAM . SOLO
PVB . S . P . D
D · D

In nova Editione Gruteri huic epigrammati subnotatur ex Gudio rescribendum esse LIBERTVS. Ergo sine controversia legendum *LIBERTVS Municipii Felicis NESCAniae.* Vides jam istum, quamdiu *Publicus* Nescaniae fuit, Fortunatum uno nomine appellatum, postea libertatem assecutum PVBLICIVM FORTVNATVM audivisse. Eadem omnino ratio habenda est C. Publicii Felicis Tergestinae civitatis liberti apud Reinesium Cl. XIX. n. 55. de quo nihil suboluit sagacissimo critico. Inscriptio sic habet:

C . PVBLICIO . TERGEST . L
FELICI
SEPTVMIA . SP . F . SEXTA
Q . PUBLICIVS . FELICIS . L
INGENVVS

Nec dispar est ratio *L. Publicii Eutychetis Municipii Tarvisini liberti* ap. Gruter. in Tarvisino lapide pag. 83. n. 13. in hunc modum:

---

(1) Nomine, inquam, appellativo. Vide enim, ne tibi Scaliger imponat (aut si quis Scaligero in consarcinandis indicibus forte subserviit; hoc enim malim, quam Viro magno crassiores nonnullos errores tribuere) in Indice Gruteriano nominum propriorum, ubi nomen *Publicus* tamquam si sit proprium, pluribus tributum videas, cum sit tamen servorum appellativum.

ISID . REG
L . PVBLICIVS . EVTYCHES
MVN . TAR . LIB

Ac sane postquam haec, quae posui exempla, et alia multa, quae mox adscribam, adnotassem, gavisus sum animadvertisse me, accuratissimum Fabrettum pag. 435. II. de isto, quem modo produxi, *Publicio Eutychete* ferme in eamdem conjecturam incurrisse. Sed pergamus porro exempla proferre. Fistula plumbea Bononiensis apud Malvasiam inscribitur in hunc modum L. PVBLIC. ASCLEPIO. VILICO. Ac miseret me Alexandri de Nigris, qui Dissert. in eum Tubum apud eumdem Malvasiam pag. 83. et seq. sine teste, ac tabulis *Publicium* istum Umbriae Consularem fuisse comminiscitur. Vel ex servili VILICI munere libertinam hominis conditionem animadverteret. *Publicius* autem est appellatus, quia libertate donatus, e servo publico *Publicii* nomen derivativum, ut sunt Romana nomina, sibi deflexit. Neque enim assentior Fabretto, p. 38. I. qui in hujus fistulae epigraphe L. Publicium dominum ab Asclepio servo Vilico distinguit. An hoc Fabrettum offendit, quod liberti, aut qui tria nomina gererent, Vilici esse non possent? Atqui apud Reinesium cl. IX. n. 29. occurrit SEX . PAPIVS . LIBER . VILLICVS. Nec dubito quin apud Gruterum, et alios plura exempla suppetant.

Ac ne ex Inscriptionibus tantum, non etiam ex Auctoribus haurire videar, Cicero Orat. pro Corn. Balbo cap. XI. ait : *Neque enim sine causa de Cn. Publicio Menandro libertino homine, quem apud majores legati nostri in Graeciam proficiscentes interpretem secum habere voluerunt, ad populum latum, ut is Publicius, si domum revenisset, et inde Romam rediisset, ne minus civis esset.* Menander iste *Publicius*, ut opinor, antea servus fuerat, ut vel ex publico interpretis ministerio, quod etiam manumissus exhibebat, apparet: libertatem vero publice est consecutus, idest a Populo Romano est manumissus, uti ex eo quod ad Populum latum esse

dicit Cicero, intelligitur. Atque idcirco ei nomen *Publicio* fuit. Porro legem de Menandro latam non necessariam fuisse vult Pomponius lege 5. Dig. *de Capt. et Postlim.* §. 3. ubi ait: *Et ideo in quodam interprete MENANDRO, qui posteaquam apud nos manumissus erat, missus est ad suos, non est visa necessaria lex, quae lata est de illo, ut maneret civis Romanus, nam sive animus ei fuisset remanendi apud suos, desineret esse civis; sive animus fuisset revertendi, maneret civis. Et ideo lex supervacua.* Verum Cicero *non sine causa latum* dixit, non quod lex fuisset necessaria, sed ne quis esset dubitationi locus.

Postremo prolixus ille Lenuncularioruni Ostiensium catalogus, quem ex Aldo Manutio juniore affert Reines. Cl. X. n. 1. (quem catalogum ex libertis, aut libertinae saltem originis hominibus maximam partem constare vix est quod dubites) tot habet PVBLICIOS, ut statim intelligere possis eos omnes ex publicis servis libertos PVBLICIOS evasisse. N. 235. occurrunt T. FVRIVS. PVBLICIVS. MARCELLINVS et n. 236. T. FVRIVS. PVBLICIVS. ARISTOBVLVS nova imponendorum nominum ratione, ut et ab eo, quo agente libertatem sunt assecuti, T. Furii appellationem assumerent, et a publica servitute, quam servierant, *Publicii* insuper dicerentur. Praeter hos duos in ea Tabula alii triginta amplius *Publicii* numerantur, ut n. 8. M. PVBLICIVS. IANVARIVS et n. 9. M. PVBLICIVS. SENior. (nempe ad discrimen aliorum *Publiciorum Ostiensium* n. 54. et 161. quos juniores fuisse oportet): omnibus autem istis Publiciis Marci praenomen praefigitur, non aliam credo ob causam, quam quia Marco aliquo legem ferente libertate donati fuere. Id quod non tantum de Publiciis intelligendum, verum de iis etiam, qui a colonia vel municipio derivativum nomen sibi adsciscerent, uti fuere Vejentii, Campanii, Pisanrii, aliiq. de quibus supra monuimus. Omnes isti juxta ac Publicii ab eo praenomen sibi arcessebant,

cujus ope libertate donabantur. Postremo ne adhuc dubites, utrum triginta et amplius *Publicios* Ostienses servos antea publicos fuisse statuas, n. 232. et 233. leguntur M . PVBLICIVS . FLORVS et M . PVBLICIVS . GLAVCVS quorum utrumque e publica servitute ad libertatem perrepsisse sic demonstro. Amborum simul (fuere autem Pater, et Filius, sicut in eadem Tabula Ostiensi lin. 4. et 6. L . FVRIVS . PVBLIC . MARCELLINVS . PA . idest *Pater.* L . FVRIVS . PVBLIC . MARCELLINVS, supple FILIVS .) amborum, inquam, conjunctim mentio fit apud Reinesium cl. XV. n. 14. in Inscriptione Azani circa Brixiam in hunc modum:

D . M
PVBLICIVS . GLAVCVS
PVBLICIO . FLORO
FRATRI (rescribe PATRI ex ult. lin. hujus Inscriptionis) DVLCISSIMO
QVI . BIXIT . ANN . XXVIII
DIES . XVII .
LOCA . CONCESSA . DVO
A . FLAVIO . CRESCENTIANO
PATRONO
PATRI . ET . FILIO

Quid autem causae fuit, cur duo isti liberti PVBLICII non a patrono suo FLAVIO nomen sibi Flaviorum adsciverint, nisi quod servi publici extiterint, ac tantum agente Flavio Crescentiano (qui ob eam solum caussam patronus appellatur) libertate donati fuerint? Ceterum quoniam in Tabula Ostiensi duo isti *Publicii* praenomen Marci gerunt; idem praenomen puto Flavio Crescentiano patrono restituendum. Ut enim modo conjiciebamus, qui e publica servitute ad libertatem perveniebant, si minus nomen (quamquam et hoc nonnunquam, sed cum additamento *Publicii*, ut in eadem Ostiensi Tabula n. 235. et 236. T . FVRIVS . PVBLICIVS . MARCELLINVS . T . FVRIVS . PVBLICIVS . ARISTOBVLVS), at praenomen certe ab eo, cujus ope manumittebantur, acquirebant.

DE RAVENNATE INSCRIPTIONE
M. AVRELII THEODOTI
SEU
DE ACTIA NICOPOLI
SCHEDIUM

PRAEFATIO.

Inscriptio talis est:

D . M
M . AVR . THEO
DOT . FIL . Q . V . AN
IIII . M . AVR . THEO
DOT . N̄ . ATTIA . N̄
COP . ET . POPPEI
SECVNDIN . MAT
PARENT . FIL . POS

Apud Montfauconium (qui primus ex lapide descripsit, et edidit pag. 100. *Diar. Ital.*) inter D. et M. est pueri caput, et hinc atque inde manus, inferne effigies est sive *Asciae*, sive *Dolabrae*. Quae epigraphe sic exponitur ac legitur

Diis Manibus M. Aurelii Theodoti filii, qui vixit annos IIII. M. Aurelius Theodotus natione Actia Nicopoli, et Poppeia Secundina mater, parentes filio posuerunt.

Antequam vero de *Actiae* cognomento, quod Nicopoli nobilissimae Epiri civitati haesisse, et hinc discimus, et

ex scriptoribus comprobatum ibo, disseram; necesse habeo plura scitu non iniucunda de huius urbis (quae inter duodecim cognomines omnium celeberrima, ac nobilissima ferebatur) originibus, quae dum ad Cl. Muratorii Dissert. *De Ascia Sepulchrali* commentarer, se se mihi obtulerunt, in medium producere. Nec tamen omnia promam (nec enim mei moris est aliorum scrinia compilare) sed ea, quae reperi post virorum doctissimorum lucubrationes (Scaligeri in *de Emend. Temp.* et ad *Euseb.* num. 1888. Casauboni ad *Suet. Octav.* cap. 18. Cellarii *Orb. Vet.* aliorumque quos viderim) adhuc intacta, aut certe secus dicta ac mihi videretur.

Ac mihi videor hanc totam tractationem sic posse partiri, ut primum de situ urbis, deinde de colonis, postea de ludis ibi celebribus, ceterisque urbis ornamentis, tum de eiusdem civitatis conditione, postea de *Actiae* ἐπονυμίᾳ, tum ad extremum de Divini Apostoli in ea urbe παραχειμασίᾳ.

CAPVT I.

De Situ Nicopoleos Epiri.

Urbis huius positum si comparate ad Epirum, sinum Ambracicum, Acarnaniam, nosse cupias; eum docebit Strabo Lib. VII. init. Ibi ostium Ambracii sinus haud multo maius IV. stadiis, totum vero circuitum vel trecentis contineri, praefatus haec subiicit: *Sinum ingresso, ad dexteram Acarnanes habitant Graeci: atque ibi est Actii Apollinis templum faucibus suis propinquum, tumulo impositum, infraque campus cum luco et navalibus, in quibus Caesar de praeda ex hostibus capta dedicavit decem* (1) *naves ab uno remorum ordine usque ad de-*

(1) Οἰκοῦσι δὲ τοῖς μὲν ἐν δεξιᾷ εἰσπλέουσι τῶν Ἑλλήνων Ἀκαρνᾶνες· καὶ ἱερὸν τοῦ Ἀκτίου Ἀπόλλωνος ἐνταῦθα ἐστὶ, πλησίον τοῦ στόματος, λόφος τις, ἐφ' ᾧ ὁ νεὼς, καὶ ἐν αὐτῷ πεδίον, ἄλσος ἔχον, καὶ νεώρια. Ἐν οἷς ἀνέθηκε Καῖσαρ τὴν δεκαναίαν ἀκροθίνιον, ἀπὸ μονοκρότου μέχρι δεκήρους· ὑπὸ πυρὸς δ' ἠφανίσθαι καὶ οἱ νεώσοικοι λέγονται καὶ τὰ πλοῖα. Ἐν ἀριστερᾷ δὲ ἡ Νικόπολις, καὶ τῶν Ἠπειρωτῶν οἱ Κασσωπαῖοι μέχρι τοῦ μυχοῦ τοῦ κατὰ Ἀμβρακίαν. Strab. l. C. Tom. 2. p. 52. Edit. Coray.

ciremem: igni autem et navalia simul et naves absumpta fuerunt. Ad sinistram Nicopolis est, et Cassiopaei Epirotae usque ad Ambraciae fines. Quam Ambraciam ad ultimum sinus recessum objacere mox dicit.

Quumque inter Nicopolim et Actium medium fretum intercedat, tamen quum de Nicopoli, aut Nicopolitis Epiri sermo incidit, ferme additur *πρὸς Ἀκτίῳ* (ut saepe apud Pausaniam) aut *ἐπὶ Ἀκτ.* aut *ὑπὸ Ἀκτίου*, aut aliis modis (quod certe haud paucos in errorem induxit, ut Hesychium Illustrem, qui ait de Nicopoli hac *ἐκτίσθη πόλις ἐν τῷ Ἀκτίῳ*, et alios) quum contra dici debuisset *ἀντιπέραν τοῦ Ἀκτίου e regione Actii*, aut *contra Actium.* Adde quod Actium in Acarnania, Nicopolis in Epiro (non in Acarnania, cui eam adscripsit Plinius, forte ex eodem erroris fonte), quae sunt diversae provinciae. Tamen et Actii Apollinis fama, et brevitas intervalli (nam fauces Ambracicae ad quingentos admodum passus pertinebant), et multo plus pugnae, victoriaeque illius nobilitas, quam Actio Apollini Augustus referebat acceptam, fecit, ut quaecumque postea nominis sui et victoriae ornandae causa fecisset, ea *ad Actium* facta esse dicerentur. Sed proderit hunc fontem errorum in omnis aevi, praesertim medii et ultimi, scriptoribus detexisse.

Atque haec de positu Nicopoleos comparate ad maria, et provincias. Nunc quod potissimum in sinistriore ostii Ambracici littore solum, quemve agrum delegerit Augustus conditor, est perpendendum. Et quidem jam illa atque omnium infixa mentibus opinio est, eo loci, ubi Caesar castra habuerat, Nicopolim ab eo erectam fuisse. Persuasionis hujus auctor et fundus Dio est, ex cujus Lib. LI. initio, ex interpretatione Xylandri, haec in omnium libris, in ore omnium circumferuntur: *Urbemque eo loco, ubi castra habuerat, effecit.......eique Urbi Nicopolis nomen indidit.* Ea, inquam, persuasio tam alte animis insedit, ut dicente Suetonio in Octavio Cap. 18. itemque Cap. 96. Augusti castra ab eo in templum (non ergo

in urbem) fuisse conversa (uterque locus infra recitabitur), Casaubonus ad cit. Cap. 18. Dionem se sequi malle, Suetonium vero errare, prae se aperte ferat. Atqui res est accuratiori indagine digna; nec patiar Tranquillum indicta causa a viro magno damnari; praesertim quum et Plutarchi in ea re stabilienda, et Strabonis, utpote antiquiorum, haud paullo major sit, quam Dionis, auctoritas. Eos porro audiamus.

Neminem sane de castris utriusque ducis accuratiora, quam Plutarchum afferre comperio. Is in Antonio (extrema pag. 944. Edit. Francof.) haec posuit: Φθάνει δὲ Καῖσαρ, Αντωνίε περὶ τὸ Ἄκτιον ὁρμῶντος, ἐν ᾧ τόπῳ νῦν ἡ Νικόπολις ἵδρυται, διαλαβὼν τὸν Ἰώνιον, καὶ τῆς Ηπείρε χωρίον, ὃ Τορύνη καλεῖται, κατασχών. Ea verba etsi possunt commoda interpretatione (1) eo flecti, ut videatur ibi maxime, ubi Caesar metatus fuerat, condita fuisse; tamen eo potius nos prono alveo ducunt, ut Nicopolis non in Augusti, sed in Antonii castris erecta videatur. Graeca illa Plutarchi Cruserius sic Latina fecit: *Praevertit autem Caesar, dum apud Actium in statione est Antonius,*

(1) Si cui certum ac fixum est Nicopolim in Caesarianis castris construere, nae is debebit illud Αντωνίε περὶ τὸ Ἄκτιον ὁρμῶντος, tamquam parenthesi concludere, ut cum sequentibus nihil commune habeat. Erit enim ordo Αντωνίε.... ὁρμῶντος.....Καῖσαρ φθάνει καταςχὼν χωρίον.....Ἐν ᾧ τόπῳ νῦν ἡ Νικόπολις ἵδρυται. *Interim dum Antonius ad anchoras stat ad Actium; Caesar transmisso Ionio, tractum* (malim enim χωρίον heic *campum* aut *tractum* interpretari, quam cum Cruserio *oppidum*, quod cum *Torynes* nomine nullum fuit), *qui Toryne nuncupatur, in eo loco ubi nunc Nicopolis fundata cernitur, occupat.* Postremo utcumque Plutarchi locus intelligetur, res est non magni discriminis; nec enim forta longius una ab alteris castra aberant, et vel utraque Nicopoleos ambitus continuerit, vel quidvis aliud, per me licebit.

Sed antequam hinc discedo, non possum Palmerianam (in II. Graec. Antiq. 6. pag. 293.) hujus loci interpretationem non reprehendere, quae talis est. *Praevenit autem Caesar Antonium, circa Actium classis stationem habentem, in occupatione loci, ubi nunc est condita Nicopolis.* Qui Graece mediocriter sciunt, Palmerii aberrationem agnoscent, nam φθάνει hic παρέλκει, ut ἔφθη ποιήσας, pro ἐποίησα; nec cum participio (κατασχὼν) iunctum, simul etiam genitivum (Αντωνίε) reget.

quo loco nunc est Nicopolis condita, transmisso mari Ionio, oppidum Epiri, quae Toryne vocatur, occupare. Qua in interpretatione praeter paucos naevos (1) cetera fidi sunt interpretis. Bina ergo castra fuere, Antonii una (quae libro L. copiose a Dione descripta habes) et in his vero postea Nicopolis exstitit, etiam adstipulante Tacito in Annalium II. qui locus inferius expendetur; altera Caesaris in eo maxime loco posita, qui *Toryne* vocabatur, uti diserte Chaeronensis Scriptor narrat, qui id etiam ex Cleopatrae (2) scommate confirmat. Haec vero Suetonio teste (credo et Strabone, uti postea observabitur) Marti et Neptuno consecrata fuere, imo et Apollini, quod ex Dione simul et Strabone ostendam. Haec eadem Caesaris castra (postea, uti dixi, consecrata) ἐν προαστείῳ Nicopoleos erant, uti mox ex Strabone ostendetur.

---

(1) Duo sunt leviores naevi, primum quod φθάνει, quod παρέλαβε, vertit *Praevenit;* deinde quod χωρίον *oppidum* est interpretatus. At oppidum eo nomine nec Caesaris aevo ullum fuit, nec aevo Plutarchi, quando locus ille iam Diis consecratus adhuc *Torynes* nomen servabat, καλεῖται. Verte si lubet: *Interim dum Antonius circa Actium navium stationem habebat, atque in eo maxime loco, ubi nunc Nicopolis est* (Vides Antonii classem sinistriori ostii littore, ubi Nicopolis, quam dexteriori, ubi Actium, in ancoris stetisse) *Caesar transmisso Ionio, Epiri locum, qui* (hodiedum) *Toryne dicitur, occupavit.*

(2) Nihil magis historici Chaeronensis narrationem constabilit, quam Reginae locus, quo in *Torynes* nomine (ex consueta Alexandrinorum dicacitate) ludebat. Θορυβουμένων δὲ περὶ Ἀντώνιον.....ἡ μὲν Κλεοπάτρα σκώπτουσα, τί δεινὸν (ἔλεγεν) εἰ Καῖσαρ ἐπὶ τῇ τορύνῃ καθῆται; *Tunc tumultuantibus Antonianis....... Cleopatra jocans, quid miri est, ait, quando in Toryne consedit Caesar?* locus est non insulsus, ab interprete non intellectus, aut certe ita neglectus, nullum ut in interpretatione sua scommatis significantiam expresserit. Non autem in duabus primoribus syllabis vocum Θορυβουμένων et τορύνης lusit Regina (ut non nemini videbatur, quod merum frigus fuisset) sed in significatu τῆς τορύνης, quod vocabulum Suidae, et Scholiastae Aristophanis exponitur κινητήριον τῆς χύτρας h. e. instrumentum, quo permiscetur et agitatur id quod in olla coquitur: quod Latini *radiculam*, et *spatham*, et *ligulam* appellabant: nostri *Cochlear* (nunc de veterum cochleari non disputo) nuncupant. Hinc τορύνω *turbo*. Caetera de hoc vocabulo sunt in Erasmo ad illud Adagium ex Platone desumptum, *Ollae fabariae toryna aurea*, et in Thes. L. G. Henr. Steph. quorum uterque Cleopatrae jocum omisit, qui in eo vertitur: *Quid mirum turbari et misceri exercitum, si Caesar in toryna sive spatha consedit?* Sed ut eo redeam, quis Plutarcho tam curiose locum utriusque ducis notanti non credet?

At, inquies, si ita se res habuit, iam Dionis fides periclitabitur. Ne id quidem. Quid ait Dio? Is Graece sic loquitur initio lib. LI. *Πόλιν δὲ τινα ἐν τῷ στρατοπέδȣ τόπῳ, τȣ̀ς μὲν συναγείρας, τȣ̀ς δ' ἀνάστησας τῶν πλησιοχώρων συνῴκισε, Νικόπολιν αὐτῇ ὄνομα δȣ̀ς· τό τε χωρίον, ἐν ᾧ ἐσκήνησε, λίθοις τετραπέδοις ἐκρηπίδωσε, καὶ τοῖς ἁλȣ̃σιν ἐμβόλοις ἐκόσμησεν, ἕδος τι ἐν αὐτῷ τοῦ Ἀπόλλωνος ὑπαίθριον ἱδρυσάμενος.* Quae Xylander sic Latio donavit, ut magnas per omnia tenebras viris in antiquitatis studio primariis offuderint. Eam interpretationem proderit particulatim expendere, simulque corrigere, omnemque penitus caliginem dispellere, eademque opera, quae inter auctores maximos Dionem, Suetonium, Plutarchum, Strabonem pugna existimata fuit, eam summam esse *ὁμονοίαν*, ostendere. Xylandri Latina sic ordiuntur: *Urbemque eo loco, ubi castra habuerat, effecit.* Non hoc dixit Dio, sed *ἐν τῷ στρατοπέδȣ τόπῳ*, *in loco castrorum*. Et vere *in loco castrorum* (non Caesaris, sed Antonii, auctore Plutarcho) Nicopolis extructa fuit; ex vetere scilicet consuetudine, qua castra magnorum ducum postea in urbes sive paullatim coalescebant, sive ad rei memoriam, ut in hoc facto, extruebantur. At isto modo, inquis, Dio brevitate sua in errorem quemvis impulerit. Ne hoc quidem; nam quia postea, quid Caesarianis castris factum sit, docuit, relinquitur, ut Nicopolis non nisi in Antonianis exstiterit. Pergit Xylander: *Partim collectis ad eam incolendam hominibus* (melius *colonis*), *partim eo translatis finitimis: eique Urbi Nicopolis nomen indidit.* Haec nihil culpo: at quae sequuntur, non excuso. *Ac locum, in quo tetenderat, lapidibus quatuor pedum magnitudine constravit.* In quibus nihil est sani, immo multorum errorum scatebrae. Primum, qui supra illud *ἐν στρατοπέδȣ τόπῳ*, quaedam de suo admetiens, infuscaverat, nunc (ubi interpretis erat officium istud *ἐσκήνησε* commoda paraphrasi illustrare) jejune nimis *tetenderat* vertit, quo et errori ansam praebuit, ut mox ostendam. Atqui istud

χωρίον (de quo hic Dio) est illud ipsum χωρίον, quod Plutarcho teste *Toryne* vocabatur, in quo Caesar castra fixerat. Ad suum ergo Auctorem illustrandum vertere profuisset: *Totumque illud* (χωρίον) *loci spatium, in quo* (*sibi, et exercitui*) *tetenderat* etc. Quamquam alioqui *tendo*, quum de duce dicitur non de solo praetorio, sed de totis castris intelligitur. Sic Virg. in II. Aeneid. v. 29. *Hic Dolopum manus: hic saevus tendebat* (non sibi tantum, sed et Myrmidonum suorum copiis) *Achilles*. Sequitur: *Lapidibus quatuor pedum magnitudine constravit.* Quae sunt absurdissima: sed ita ut ea menda ex parte, non penitus absterserit Leunclavius, qui orae illevit: *Lapidibus quadratis a fundamento extruxit.* In τετραπέδοις bene habet, in ἐκρηπίδωσε non item: quamquam eum errorem cum Henrico Stephano (1), et cum optimis Lexicographis communem habet. Vertendum fuit: *muro ex quadratis lapidibus sepsit* (2), aut *marginavit*. Nam si

---

(1) Henr. Stephanus in suo Thes. L. G. nullum aliud exemplum τοῦ κρηπιδόω pro *fundo* affert, quam hunc, in quo versamur, Dionis locum, in quo illud ἐκρηπίδωσε interpretatur *fundamenta ejus struxit.* At heic longe est aliud κρηπιδόω.

(2) *Sepsit*, aut *marginavit*. Res sic se habet. Κρηπὶς significat inter cetera *basim*, et *fundamentum*: cujus notionis exempla sunt passim obvia. *In vulgatis lexicis* (addit. H. Steph.) *exponitur etiam Crepido*. Quoties sic loquitur ὁ πάνυ, tunc significat, se de ea notione dubitare, donec idonea exempla afferantur. At equidem τὸ κρηπὶς usurpatum reperi de Iordanis ripa sive crepidine in LXX. Ios III. 15. et IV. 18. et 1. Par. XII. 15. Sed at I. Machab. IX. 45. Adhaec autem locupletissimum testem produco Glossarum Auctorem, qui mihi plurium lexicorum et auctorum instar est. In Glossis sic reperi: Κρηπὶς *Crepido, margo*. Deinde quum Latinum *crepido* sit ipsissimum Κρηπὶς, unde de ea notione est amplius dubitandum? Verum dum similia auctorum idoneorum loca inveniuntur, in quo κρηπὶς pro *margine* sive *crepidine* reperiatur; hoc Dionis loco φιλέλληνας contentos esse jubeo, in quo verbum κρηπιδόω non pro *fundo*, aut *fundamenta jacio* (qua notione hoc verbum nondum reperitur) sed pro *crepidine sepio*, sive *margino* (quo pulchre utitur Liv. XLI. 27. *Censores vias sternendas . . . . glarea extra urbem, marginandasque locaverunt*) esse positum, nemo jure dubitaverit; si modo ad παράλληλον Strabonis locum attenderit, ubi, quod heic Dioni est χωρίον κεκρηπιδωμένον, illa τέμενος appellat h. e. *septum consecratum*. Locus Strabonis est Lib. VII. qui in una ex mox sequentibus adnotationibus producetur, et illustrabitur. Sed redeo ad Henr. Steph., cujus causa quia me velle omnia aequum est, permultum interest, si

isto modo haec de Caesaris castris exposita fuissent; iam pugnae nihil Dioni cum Suetonio exarsisset, dicente in Octav. cap. 18. (1) Caesariana castra mox Neptuno, ac Marti fuisse consecrata; nec tenebrae super ea re viris magnis, atque in primis Casaubono (2) obortae essent. Re

---

qua parte ejusdem Thesaurus emaculetur. In eadem voce Κρηπὶς ait: *Κρηπὶς dicitur etiam τὸ περίθεμα τῶν ἰσχόνων πλακούντων, ut docet Hesych. quibus verbis videtur significare marginem illarum placentarum.* At in Hesych. (saltem meo, edit. Basil. an. 1568.) legitur non περίθεμα, sed ἐπίθεμα, quod *operculum*, non *marginem* significat. Ἔγχυτος est apud Polluc. VI. 77. placentae genus. Qui ibidem κρηπῖδα, alterum placentae genus, sic describit: *ἦν δὲ καὶ κρηπὶς ἐξ ἀλεύρου καὶ μέλιτος, ᾗ ἐνέκειντο ἀμπελίδες τινὲς, ἢ συκαλίδες ὀπταί, ἢ βραθεῖσαι, τὴν κρηπῖδα ζωμῷ ὀρνιθείῳ ἐνθρύψαντες, ὄρνιθες.* Quo Pollucis loco recitato, subdit Heur. Steph. *hcic quoque pro placentae margine, et circumferentia, qua aviculae illae includerentur, capi.* Non ita; sed κρηπὶς Hesychio, et Polluci est illud pistorium opus quod *Impanata* nostri eppellant.

(1) Suet. in Octavio Cap. 18. *Et ampliato vetere Apollinis templo, locum castrorum, quibus fuerat usus* (Octavius) *exornatum navalibus spoliis, Neptuno ac Marti consecravit.* Et Cap. 96. *Utriusque simulacrum aeneum victor posuit in templo, in quod castrorum suorum locum vertit.* Quae loca confer cum τεμένει Strabonis mox in seq. adnotationib. illustrando.

(2) Princeps ille philologiae omnis Casaubonus ad Suet. Octav. Cap. 18. (vide verba in not. superiore) sic adnotat: *Viderit lector, utri potius assentiendum putet, Suetonio, an Dioni. Tranquillus locum castrorum* (Caesaris) *totum in templum ait versum, et hic et cap. 96.* (proprie locus castrorum in τεμένος ex Strabone, et Dione versus fuit; quod Suetonio Cap. 18. apposite consecratum ἁπλῶς dicitur, at Cap. 96. quum *Templum* appellavit, laxiore notione id nomen usurpavit, ut etiam τὰ τεμένη sive septa sacra, templi nomine complectatur). *Dio* Lib. LI. *in castrorum loco* (at supple *Antonii*, non *Caesaris* ut supra dixi) *urbem Nicopolim fuisse aedificatam: templum vero, de quo loquitur Suetonius, in loco in quo fuerat Augusti tabernaculum* (Imo, uti demonstravimus, non in ducis praetorio, sed in totis passim castris). *Ego Dionem potius sequar* (at ego utrumque; imo et Plutarchum adhaec, et Strabonem: quam addit deinde rationem petitam a more castra in urbes vertendi, ea valebit in Antonii castris in urbem Nicopolim mutatis ex Plutarcho). *At Suetonius non in hoc tantum errare videtur, sed etiam quum dicit, templum hoc ab Augusto fuisse Neptuno, et Marti consecratum* (non dixit Tranquillus templum, sed locum castrorum iis *consecratum*, quod est Strabonis τέμενος) *nam et Strabo, et Dio ajunt Apollini* (partem τοῦ τεμένους scil. diserte uterque Apollini vindicant: de Neptuno ac Marte tacent; sed ita ut reliquum τέμενος appareat aliis ab Apolline Diis consecratum). Deinde ad extremum addit, Apollinem quidem ab Augusto semper impense cultum, contra vero Neptunum ab eo parum amicum numen fuisse creditum. Atqui sic olim. Ceterum qui praelio Actiaco amicum sibi Neptunum expartus asset, jure illum in bonorum partem

enim vera castra sua Caesar, quae in Toryne erant, muro sepsit. Septum illud, qua parte planities erat, Neptuno et Marti consecravit, ac navalibus manubiis exornavit; qua vero parte erat tumulus, Apollini id sacrum fecit: quae omnia et ex Strabone pulchre illustrantur (1), qui et

---

vocavit, etiam ex more vetere, quo τὰ λάφυρα captarum navium Neptuno dicabantur: Imo ob eam fortasse etiam causam, quod quum fel Aruspices Neptuno dicaverint, *geminum* visum fuit Augusto litanti, quo die apud Actium vicit. Utrumque tum de Aruspicibus, tum de gemino felle in hostia viso, testatur Plin. H. N. Lib. XI. Sect. 75. in Harduini Editione.

(1) Adscribam Strabonis locum, multum lucis hisce allaturum, vicissim autem non mediocri luce perfundendum. Is lib. VII. p. 325. de Nicopolis conditu praelocutus, subdit: Ἡ μὲν οὖν Νικόπολις εὐανδρεῖ, καὶ λαμβάνει καθ' ἡμέραν ἐπίδοσιν χώραν τε ἔχουσα πολλὴν, καὶ τὸν ἐκ τῶν λαφύρων κόσμον. Interpres: *Viget autem multitudine hominum Nicopolis, et augetur in dies, agrum habens amplum, et ornamenta e manubiis.* Hactenus belle habent omnia. Pergit ille: τότε κατασκευασθὲν τέμενος ἐν τῷ προαστείῳ τὸ μὲν εἰς τὸν ἀγῶνα τὸν πεντετηρικὸν, ἐν ἄλσει ἔχοντι γυμνάσιόν τε καὶ στάδιον, τὸ δ' ἐν τῷ ὑπερκειμένῳ τοῦ ἄλσους ἱερῷ λόφῳ τοῦ Ἀπόλλωνος. Xylander interpres: *In suburbio lucus est adornatus ad quinquennale certamen, in quo luco gymnasium est et stadium: et in tumulo, qui luco imminet, templum est Apollinis.* Quam interpretationem non habeo, cur commendem. Nihil inde ad ea, quae ad vivum resecamus, lucis haurias: deinde haec a superioribus sic seiungit, tamquam sit discreta a praecedentibus periodus; quum tamen τὸ, τε (sic enim est ibi scribendum, non τότε *tunc*) sit casu accusandi positum, referaturque ad praecedens ἔχουσα: mitto quod τέμενος non est *lucus*, alioqui esset lucus complectens τὸ ἄλσος h. e. alterum lucum: mitto ceteros versionis naevos non paucos.

At Palmerius huic loco suppetias tulit. Eum audiamus. Queritur locum *non esse sanum: quum enim de eo sacro loco dicat, de duobus assumit. Igitur minima mutatione lege:* Duo septa praeparata τὼ δὲ κατασκευασθέντε τεμένω (corr. τεμένε, nam alterum τεμένω nusquam est) *dualiter, et sic planus erit et plenus sententiae sensus.* At ista non κατόρθωσις est, sed παρόρθωσις; ex qua sequitur primum rectos casus τὼ δὲ etc. absolute poni praeter morem; deinde duo fuisse septa, quum tamen ex Dione unum fuerit χωρίον πρωτιδωθέν.

Verum nulla est sollicitanda litterula (nisi vero correctionem id vocas, quod pro τότε *tunc*, scribendum monuerim τό, τε ut sit articulus cum enclitica, casu quarto) tantum haec cum superioribus sunt nectenda: ἔχουσα χώραν.... et praeterea τὸ κατασκευασθὲν τέμενος. Quae quoniam rectissime nulla cum mutatione sunt constituta; etiam αὐτολεξεὶ reddam, quo vel ii qui Graece nesciunt, judicium ferre possint. *Et frequens quidem Nicopolis est, fitque in dies frequentior, agrum habens amplum, et ornamenta e manubiis, sacrumque septum* (non alia convenientior huic loco τοῦ τεμένους notio esse potest, quod aliis in locis aliter etiam verti solet) *extructum* (recte hoc Strabo addidit, quia ex Dione Augustus sua castra quadratis lapidibus *marginavit*) *partim quidem* (qua

vicissim et ex Suetonio, et ex Dione lucem haurit; apud quem in Xylandro sequitur: *Rostrisque navium captarum ornavit* (haec sana sunt, non item quod sequitur) *sacrarium ibi Apollinis sub dio constituens.* Graece erat: ἕδος τι ἐν αὐτῷ (χωρίῳ κεκρηπιδωμένῳ sive *septo*) τοῦ Ἀπόλλωνος ὑπαίθριον ἱδρυσάμενος. Quo significatur non totum illud spatium muro cinctum Apollini sacratum, sed partem ex eo dumtaxat editiorem (nam quidquid planitiei fuit, spoliis navium exornatum, Neptuno, et Marti cesserat) decisam (1), quae Apollini sacraretur. Vides jam quanta sit,

---

parte scilicet planum erat) *ad quinquennale certamen* (peragendum) *in luco, habente gymnasium et stadium, partim vero in eo, qui luco imminet, tumulo, qui est Apollini sacer.*

Ergo Strabonis hoc τέμενος, ut innuimus, idem plane est, ac Dionis locus Augusteorum castrorum, quem Caesar ἐκρηπίδωσε, *marginavit.* Septum istud, qua parte planities erat, Neptuno, et Marti (auctore Suetonio) sacer erat, et lucum cum gymnasio et stadio et cetera ad ludicrum continebat: qua vero parte tumulus, erat Apollini sacer, et ἕδος ὑπαίθριον, de quo Dio, extructum habebat. Sacrum id septum Suetonio in Octav. Cap. 96. *templum* appellatur, sive antiqua proprietate, qua *templum* non est fabrica, sed spatium ab Auguribus captum (norunt eruditi, quid sit *templum capere*), sive quia quo loco simulacrum illud dedicavit, ea parte templum Apollinis ὑπαίθριον erat. Atque haec de egregio Strabonis loco.

(1) Ἕδος τι ἐν αὐτῷ τοῦ Ἀπόλλωνος ὑπαίθριον ἱδρυσάμενος. Heic quaerat aliquis, quid sit ἕδος. Ut ceteras ejus vocabuli jam notas significationes omittam; notandus est maxime Antiphontis locus, quem Budaeus affert, et ex eo Stephanus, sed sine ulla notatione proprietatis ejus vocabuli, quatenus sacram aedem significet. Antiphon ait: Καὶ ἀρίστα προδόντα αὐτὸν καὶ τοὺς νεώς, καὶ τὰ ἕδη, καὶ τὰ τεμένη, καὶ τὰς ἐν τοῖς τεμένεσι θυσίας. Ubi vides distingui inter ναοὺς templa, interque τεμένη *septa sacra*, lucos etc. et inter ἕδη. De his ultimis quaerendum jam quid sint. Ἕδος heic Xylander vertit *sacrarium*, non male, quippe quum Glossas pro eo significatu stare videam. Sed *sacrarii* vox nimis laxae notionis est. Equidem non illibenter *Pulvinarium* verterim, auctoribus eisdem Glossis, in quibus sic reperi: Ἕδος *Pulvinarium*, *Sacrarium. Pulvinarium et Pulvinar* (in sacris loquor) non idem quod *pulvinaria* numero plurali. Istud lectos significat: at numero unius accipitur pro loco sive aedicula, ubi lecti sternebantur. Potest id ostendi ex Cic. pro Dom. *Pulvinar..........dedicavit:* et Liv. XXI. 62. *Corvum.......in ipso pulvinario consedisse.* Et certe pulvinaria, ubi usus, sternebantur: at is locus *Pulvinar* aut *Pulvinarium* dicebatur. Pulvinarium istud, quod Apollini Caesar *dedicavit* (*dedicavit* inquam; nam non aliud, quam *dedicandi* verbum heic Graeco ἱδρυσάμενος respondet, quod possem pluribus ostendere; sed doctiores viri id jam norunt, vel ex iis, quae alibi in Diatr. *De Dedicationibus*, *in Comm. ad Mut. Amph. Campani titulum* dicta fuerunt) subdivale fuit: ex quo etiam intelligimus, lectos non ibi semper paratos, sed quoties id usus poscebat.

qui antea conflictus erat, inter historiae principes consensio, et ut alter alteri suppetias ferat, et suppleat quod in altero deerat.

His iam expositis, Dionis locus, quem frustillatim expendimus, totus simul sic verti potest: *Ad haec in castrorum* (Antonii) *loco extructa urbe, in eam tum quos sparsim collegerat, tum finitimos translatos coegit, cui Nicopolis nomen fecit. At illud spatium, in quo* (exercitui suo) *tetenderat, muro cinxit ex quadratis lapidibus, et rostris captarum navium exornavit, et in ejus* (editiore) *parte subdivale pulvinarium Apollini dedicavit.*

Cum his ita expositis Tacito etiam belle convenit, qui Annalium II. 53. de Germanico Nicopolim (qua in urbe Consulatum iniit) adnavigante sic scribit: *Sinus Actiaca victoria inclytos, et sacratas ab Augusto manubias, castraque Antonii, cum recordatione majorum suorum adiit: namque ei, ut memoravi, avunculus Augustus, avus Antonius erant, magnaque illic imago tristium, laetorumque.* Ergo ingredienti Germanico *sinus Actiaca victoria inclytos*, duo peculiari contemplatione digna se obtulerunt, bina scilicet ducum duorum castra. Nam quum *sacratas ab Augusto manubias dicit*, castra Augusti dicit, sive sacrum illud septum ἐν προαστείῳ, quod Caesar navium captarum rostris exornaverat; deinde quum *castra Antonii* nominat, urbem ipsam Nicopolim intelligit.

Adversus haec ex quatuor primariis Scriptoribus (visis antea se mutuo collidere, re autem vera mirifice foederatis) tam anxie constituta, obiiciet fortasse aliquis, non belle in Antonianis castris Nicopolim, in Caesarianis vero sacrum illud septum constitui: nam quum τέμενος istud ex Strabone ἐν προαστείῳ *in suburbio* fuerit; hinc consequens fore, Antoniana castra cum Caesarianis conjuncta fuisse, tamquam si socii aut foederati, non tamquam infensissimi hostes fuissent. Qui sic loquuntur, vi-

dentur *προαστείου* nomine id tantum intelligere, quod vulgo nunc nostri homines *sobborgo* appellant, habitationes scilicet circumpositas muro tantum, et fossa ab urbe discretas: quum longe secus se res habeat, nam non tantum aedificia, sed et agri, et villae ad aliquot millia ab urbe remota, *suburbana* Latinis, Graecis *τὰ προάστεια* dicebantur. Vel vide Pollucem in VIIII. 4. ubi *περὶ τῶν προαστείων*. Alibi hic Grammaticus *τὰ περιπόλια* a *προαστείοις* non seiungit: at *περιπόλια* quam longius pertinuerint, infra dicetur. Accedit, quod quum Antonii castra arctiora essent, quam pro ambitu civitatis; credibile est, Augustum laxavisse spatia versus eam partem, qua ipse tetenderat; etiam ob eam caussam, ut illud septum, tribus Numinibus sacrum, in quo erant agenda certamina, propinquius urbi esset.

CAPVT II.

De Colonis Urbis ejusdem.

Atque haec de urbis Nicopoleos loco: sequitur, ut de incolis dicam. Dio paullo ante laudatus partim a collectitia colluvie, partim a finitimis eo coactis habitatam dixit. Id enucleatius Strabo narravit Lib. VII, qui Ambraciam, et alias urbes assiduis bellis a Macedonum Regibus, Romanisque attritas praefatus, addit: ὥςε ὁ Σεβαςὸς ὁρῶν ἐκλελειμμένας τελέως τὰς πόλεις, εἰς μίαν συνῴκισε, τὴν ὑπὸ αὐτῦ κληθεῖσαν Νικόπολιν ἐν τῷ κόλπῳ τῦτῳ, ἐκάλησε δ' ἐπώνυμον τῆς νίκης etc. *Quare Augustus urbes eas plane desertas videns, omnes in unam a se vocatam Nicopolim in sinu illo* (Ambracico), *a victoria* scilicet *imposito nomine*, *contraxit.* At ex illis desertis urbibus solam Strabo Ambraciam nominavit. Pausanias *Eliac. prior.* Cap. 23. Ambraciotis etiam Anactorios addidit; idemque porro in Achaicis in eam retulit et τὸ Αἰτωλικὸν i. e. Aetolicam universam gentem, ubi ait idcirco Calydonem et Aetoliam ceteram ab Augusto in solitudinem fuisse redactam, διὰ τὸ ἐς Νικόπολιν τὴν ὑπὲρ 'Ακτίȣ συνοικίζεσθαι καὶ τὸ Αἰτωλικόν. *Quoniam quod erat Aetolici nominis ad habitandam Nicopolim ad Actium compulsum fuisset.* Hinc, credo, in plurimis Νικοπολέως nummis *Aper Calydonius* exprimitur. Vide eos nummos in Harduini *Numm. Urbium*, et Vaillantio.

At ceterae civitates quae fuerint, quarum incolae Nicopolim compulsi fuerunt, nemo luculentius docebit epigrammate, quod Antipatro adscribitur, quodque ut ineditum affert Berkelius ad Stephanum in Νικόπολις.

Λευκάδος ἀντὶ με Καῖσαρ, ἰδ' Ἀμβρακίης ἐριβώλυ
Θυῤῥείυ τε πόλειν, ἀντὶ τ' Ἀνακτορίυ,
Ἄργεος Ἀμφιλόχυ τε, και ὅπποσα βαίσατο κύκλῳ
Ἀςε' ἐπιθρώσκων δυρομανὴς πόλεμος,
Ἔσατο (a) Νικόπολιν θείην πόλιν· ἀντὶ δὲ νίκης
Φοῖβος ἄναξ ταύτην δὔκνυται (b) Ακτιάδος (c).

(a) » Mazochius ad oram paginae haec adnotavit « *Scribendum* Ἔσσατο *ab* Ἕω *colloco*, *statuo*. Notandum vero, Holstenium in *Not. et Castigat. ad Steph.* v. Νικοπ., Iensium in *Anthol. Constant. Cephal. Reisk.* p. 146, Brunkium in *Analect. Vet. Poet. Graec.* Tom. 2. p. 217. et Cl. Iacobs. in *Anthol. Graec.* Tom. 2. p. 104. etc. edidisse Εἵσατο, quod a themate ΕΩ in significatu *ponendi*, *collocandi* magis arridet. Homerus habet Iliad. γ', 392. εἷσαν λέχος; et ζ, 189. εἷσε λόχον; ί, 693 οἱ μὲν ἄρ ἀντίθεον Σαρπηδόνα δῖοι ἑταῖροι Εἷσαν ὑπ' Αἰγιόχοιο Διὸς περικαλλέϊ φηγῷ; ac demum Odyss. γ', 416. πὰρ δ' ἄρα Τηλέμαχον θεοείκελον εἷσαν ἄγοντες. Herodotus porro sua fulcit auctoritate lectionem εἵσατο a tantis viris in Antipatri Epigrammate adprobatam; *Histor.* Lib. I. cap. 66. habet τῷ δὲ Λυκούργῳ τελευτήσαντι ἱρὸν εἱσάμενοι. Ceterum illud Mazochianum ἔσσατο exemplis non caret: idem Homerus Odyss. ξ, 295. habet ἐέσσατο metri caussa in significatu *ponendi*; et Thucydides *Hist.* Lib. III. 58. in fin. θυσίας τὰς πατρίας τῶν ἐσσαμένων καὶ κτισάντων ἀφαιρήσεσθε, quamquam Cl. Philippus Buttmannus in *Griech. Grammat.* p. 290. hanc lectionem in Thucydide manifeste mendosam esse, ac in textum pro ἱσαμένων irrepsisse innuat. Hesychius denique habet ἕσσε, καθῖσε.

(b) » Berkelius scripsit δείκνυται et sic edidit Holstenius l. c. Verum Cl. Iacobs. in *Animadvers.* ad hunc Epigrammatis locum, *Anth. Graec.* Tom. 2. part. I. pag. 314. observat in Codice Vaticano legi δέχνυται, et sic Iensium scripsisse in *Anth. Constant. Cephal. Reisk.* p. 146. n. 730, apud quem lectio Holsteniana in margine apposita est. Hinc revocandam censet membranarum lectionem, ex qua verior commodiorque sensus Antipatri verbis elicitur. *Nicopolis*, ait Iacobs., *Apollini sacra fuit*, *quare Apollo eam pro auxilio quod Augustus in pugna navali cum Antonio tulerit*, *accepisse dicitur. Pugnae Actiacae eventum Apollini a Poetis tribui constat ex Virgil. Aeneid. III. v. 274. et ibi Servius* etc. Sic igitur legendum, dispungendumque integrum Antipatri Epigramma ex eodem Iacobs. in *Apograph. Palat.* Tom. II. pag. 196.

Λευκάδος ἀντί με Καῖσαρ, ἰδ' Ἀμβρακίης ἐριβώλυ
Θυῤῥείυ τε πόλεων, ἀντί τ' Ἀνακτορίυ,
Ἄργεος Ἀμφιλόχυ τε, καὶ ὁππόσα ῥαίσατο κύκλῳ
Ἄςε' ἐπιθρώσκων δυρομανὴς πόλεμος,
Εἵσατο Νικόπολιν, θείην πόλιν· ἀντὶ δὲ νίκης
Φοῖβος ἄναξ ταύτην δέχνυται Ἀκτιάδος.

Leucadis, Ambraciaeque insignis ab ubere glebae
Thyrrheique loco, me loco Anactorii,
Argeos Amphilochi, et quot circum diruit hasta
Mars immane furens oppida me statuit
Nicopolim, diam urbem, Caesar: at ipse tropaei
Me rex Actiaci munere Phoebus habet.

(c) « In ima paginae ora haec adlevit Mazochius » *Actii veteris incolas* (*inductis civibus Romanis*) *Nicopolim credo. De quo postea.*

Praeter iam recensitas urbes, ex quarum ruinis Nicopolis auctior evasit, alias praeterea non paucas detegere posse mihi videor in Strabone lib. X pag. 450. ubi Acarnaniae urbes sic recenset: *Πόλεις δ' εισὶν ἐν μὲν τοῖς Ἀκαρνάσιν, Ἀνακτόριον τε ἐπὶ Χεῤῥωνήσυ ἱδρύμενον, Ἀκτίυ πλησίον, ἐμπορεῖον τῆς νῦν ἐκτισμένης ἐφ' ἡμῶν Νικοπόλεως, καὶ Στράτος.....καὶ ἡ Αἰνεία....καὶ ἄλλαι δ' εἰσὶ Πάλαιρος τε, καὶ Ἀλυζία, καὶ Λευκὰς, καὶ Ἄργος τὸ Ἀμφιλοχικὸν, καὶ ἡ Ἀμβρακία, ὧν αἱ πλεῖσται περιοικίδες γεγόνασιν, ἤ καὶ πᾶσαι, τῆς Νικοπόλεως. Urbes sunt Acarnaniae, Anactorium in peninsula situm, non procul ab Actio, emporium ejus, quae nostro tempore est condita Nicopolis; et Stratus.... tum Aeneia....sunt et aliae urbes, Palaerus, Alyzia, Leucas, Argos Amphilochicum, Ambracia: quae pleraeque, aut potius omnes, municipia Nicopoleos factae sunt.* Xylandri interpretationem heic apposui, in qua tamen pro *municipia* repone potius *vici* (1), aut *villae*, aut *pagi*. Verum ex his agnoscimus urbibus recensitis, ex quibus creverit Nicopolis, addendas esse has Acarnanicas, Stratum, Aeneiam, Palaerum, Alyziam.

CAPUT III.

De Actiaco certamine.

Multis Nicopolim suam Augustus ornamentis decoravit: sed praecipuum fuit quinquennale ludicrum, de quo Strabonem supra loquentem audivimus. De eisdem ludis et Dio loquitur, et Suetonius, et quis non? Eos sigillatim audiamus; nam his basibus omnis de ludicro hoc disputatio innitetur.

---

(1) *Περιοικίδες* heic apud Strabonem sunt idem quod *κῶμαι* i. e. *vici*, teste Aristotele in *De Art. Poet.* Cap. 3. *οὗτοι* (de Peloponnenis loquitur) *μὲν γὰρ κώμας τὰς περιοικίδας καλεῖν φασιν.* Idem VI. *Polit.* 5. de Carthaginiensibus: *ἀεὶ γάρ τινας ἐκπέμποντες τοῦ δήμου πρὸς τὰς περιοικίδας, ποιοῦσιν εὐπόρους.*

At Suetonius ante ea verba, quae supra scripta sunt, dixerat: *Quoque Actiacae victoriae memoria celebratior in posterum esset, urbem Nicopolim apud Actium condidit, ludosque illic quinquennales constituit; et ampliato vetere Apollinis templo etc.* uti supra. Strabo vero statim post ea verba, quae supra adscripsimus, a Xylandro sic loquens inducitur: *Actia, certamen sunt Olympicum, in Actii Apollinis honorem: procurant Lacedaemonii. Reliqua oppida et vici sub Nicopoli sunt. Quondam quoque Actia coronarium certamen Deo a vicinis celebrabantur: sed et ejus dignitatem auxit Caesar.* De perversa Xylandri versione alius erit criminandi locus: nunc enim res tantum ruditer adumbramus.

Sed nihilo tolerabilior est interpretatio verborum Dionis; qui ante ea verba, quae supra posuimus, sic a Xylandro fit loquens: *Ludos musicos ac gymnicos, et certamen equestre cum sacro quinquennali (sic enim ii, qui annonae sunt praefecti, appellantur) constituit.*

Ex his quamlibet malis interpretationibus hoc primum assequimur, duum generum pro diversis scil. temporibus, fuisse Actiacos ludos. Ante Augustum erant Actiaca certamina, testante id diserte Strabone, uti vidimus, et ante Strabonem Virgilio (1), post Strabonem Aeliano (2) Harpocratione (3) Stephano (4), nec repugnante Dione, quem

---

(1) AEN. III. 275.

Et formidatus nautis aperitur Apollo.
Hunc petimus fessi, et parvae succedimus urbi.

Sic Actium appellat. Deinde v. 277.

Actiaque Iliacis celebramus littora ludis.

(2) *Hist. Anim.* Lib. XI. Cap. 8. testatur ὅταν ἡ τῆς πανηγύρεως ἐπιδημεῖ μελλήσις, καθ' ἣν καί τι πόλεμον ποιῶσι τῷ θεῷ, θύουσι βοῦν ταῖς μυίαις· αἱ δὲ ἐμπλησθεῖσαι τοῦ αἵματος ἀφανίζονται, δεκασθεῖσαι μὲν ὡς ἀπαλλάττονται αὗται. *Cum igitur tempus festum instat, in quo saltationem Deo peragunt, bovem muscis immolant: cujus illae sanguine saturatae recedant, veluti munere ad id faciendum persuasae.*

(3) Harpocration *Lexic. X. Orat.* Ἄκτια ἀγὼν παλαιός ἦν. ὡς δῆλον ποιεῖ Καλλίμαχος ἐν τῷ περὶ ἀγώνων. Eadem verbatim reperies in Suida v. Ἄκτια.

(4) Steph. Byzant. in Ἄκτια » Ἐν ταύτῃ (τῇ πόλει) Ἀπόλλωνος γυμνικὸς ἀγὼν, καὶ ἱππικὸς, καὶ πλοίων ἅμιλλα διὰ τριετηρίδος ἦν. *In ea urbe tertio quoque anno certamen gymnicum, et equestre, et navale fuit.*

frustra, ut infra ostendam, accusat eo nomine Scaliger. At auxit eos ludos Augustus, et majorem iis dignitatem conciliavit.

Sed scire libet, quid inter utrosque interfuerit. Tria reperio potiora discrimina. Primum, quod illi ante Augustum triterici erant, et tertio quoque anno recurrebant. Testis ejus rei Stephanus in Ἄκτια. Ἐν ταύτῃ (πόλει) Ἀπόλλωνος γυμνικὸς ἀγὼν, καὶ ἱππικὸς, καὶ πλοίων ἅμιλλα διὰ τριετηρίδος ἦν. *In ea* (urbe) *tertio quoque anno certamen gymnicum, et equestre, et navale erat.* Ad quem locum Berkelius, ceteroqui doctissimus, insigniter labitur (1). At ἀγὼν alter ab Augusto in prioris locum subrogatus πεντετηρικὸς quinquennalis fuit, h. e. post solida singula quadriennia recurrebat.

Alterum, quod quum uterque gymnicus, et equestris esset; at ille prior etiam navalis, non item Augusteus; contra hic musicus, non item Actiacus prior. Musicos fuisse Augusti ludos, docuit Dio supra cit.

Postremo tertium discrimen sit, quod ille antiquior ἀγὼν *coronarius* (2) erat: et Caesarianus non tantum *co-*

---

(1) Levius id est, quod διὰ τριετηρίδος vertit *singulis trienniis*, quod significaret intercessisse solidum triennium, quum revera biennium intercederet. Sic etiam διὰ πεντετηρίδος celebrari ludos est *quinto quoque anno*, non singulis quinquenniis, nam ludis exactis quatuor anni solidi intercedebant, donec ludi redirent. Sed id missum facio. Illud gravius, quod Stephano non convenire conqueritur cum Strabone, et Dione, nam quos hi πεντετηρικὰς fecerunt, ille τριετηρικοὺς fecit. Certe non convenit, nec convenire debuit, quia hi de Augusteis, ille de Actiacis antiquioribus loquitur.

(2) Στεφανίτης ἀγὼν Straboni appellatur. Locus infra Graece producetur. Pollux lib. 3. cap. 30. n. 153. τοὺς μὲν ἐν καλουμένους ἱεροὺς ἀγῶνας, ὅτι τὰ ἆθλα ἐν στεφάνῳ μόνῳ, στεφανίτας ἐκάλεσαν καὶ φυλλίνας (alii φυλλίνους, aut φυλλίτας), τοὺς δὲ ἐναγωνιζομένους θεματικοὺς, ἀργυρίτας. Quae verba plerique sic acceperunt, ut ἀγῶνες alii sint ἱεροὶ, alii θεματικοί; et ἱεροὶ quidem στεφανῖται sint sive φυλλίνοι, at vero θεματικοὶ aut ἀργυρῖται. Vide adnotationes ad Pollucem novae editionis. At contra est; quia Ἄκτια postquam ab Augusto inter ἱεροὺς ἀγῶνας, teste Dione, relata sunt, tamen non sola corona foliacea victores manebat, sed pretiosiora praemia, teste Iosepho in I. Ἁλωσ. 21. in loco, qui infra hoc Cap. producetur. Itaque Actiaci ludi, quum sacri essent, iidem tamen et θεματικοὶ erant. Nulla est ergo illa summa partitio in *Sacros*, et *Thematicos*. Pollucis ergo locus sic censeo vertatur: *Ex iis*

ronarius (de quo etsi Scriptores silent , at id commune omnibus celebrioribus erat, et id saltem constat ex *corona* quae in Νικοπολιτῶν *Nicopolitarum* nummis nonnunquam visitur), sed etiam *Olympiacus*, et *sacer*. *Olympiacum* fuisse, discimus ex Strabone ; *sacrum* vero ex Dione intelligimus. Utrumque suo ore loquentem audiamus ; a quibus mirum quantum aberravit Xylander in Latinis , quae supra paullo ante dedimus.

Strabo lib. VII. Αποδέδεικται δ' ὁ ἀγὼν Ὀλύμπιος τὰ Ἄκτια, ἱερὸς τῦ Ἀκτίυ Ἀπόλλωνος. Xylander verterat: *Actia certamen sunt Olympicum in Actii Apollinis honorem.* Non ita, sed isto modo : *Porro Actia , certamen illud* (antiquius), *constitutum est Olympicum* (1), *quod est Actio Apollini sacrum.* Quid sit ἀποδέδεικται vel pueri sciunt ; pro quo Dio in eadem re et eadem notione κατέδειξεν posuit.

Sed jam Cassii Dionis locum depromam , quo simul recta interpretatione donetur, simul a Scaligeri cavillatione vindicetur. Haec ait lib. LI. Ἀγῶνα τὲ τινα καὶ μυσικὸν, καὶ γυμνικὸν , ἱπποδρομίας τε πεντετηρικὸν ἱερὸν (ὅτω γὰρ τὺς τὴν σίτησιν ἔχοντας ὀνομάζυσιν) κατέδειξεν, Ἄκτια αὐτὸν προσαγορεύσας. Quod Scaliger in V. *De Emendatione Temp.* pag. 457. initio , sic criminatur : *Ait , Actia instituta , ab Augusto, quod, ut ex Strabone ostendimus, falsum est.* Sed pace tanti viri, optime Cassio cum Strabone convenit. Hic dixerat Caesarem ἀγῶνα τὸν Ἄκτιον (qui ceteroqui non ante fuerat) ἀποδεῖξαι i. e. *constituisse* Olym-

---

ludis quos sacros appellabant , si quidem corona sola praemium proponeretur, eos coronarios et foliaceos nuncupabant : quod si sumptuosius aliquid proponeretur, eos et thematicos et argyritas vocabant. Ex ἱεροῖς ergo alii erant στεφανῖται solum (uem ceteroqui in omnibus victorem corona manebat), alii non tantum στεφανῖται , sed et θεματικοί ; qui ab eo quod erat.........

(1) In Graeco est trajectio Graecis Scriptoribus valde usitata. Nam ordo videtur esse : ὁ δὲ ἀγὼν , τὰ Ἄκτια, ἀποδέδεικται Ὀλύμπιος etc. Vel sine trajectione icane tantum ertic. ὁ, ut sit ordo τα δὲ Ἄκτια ἀποδέδεικται ἀγὼν Ὀλύμπιος.

picum. Ille *πεντετηρικὸν ἱερὸν* quinquennalem sacrum (id tantumdem ac Olympicnm) *κατέδειξεν constituit.* An criminatur sequentia, quod illud ludicrum *Actia* appellavit Augustus, quod nomen jam antea ludis haeserat? At nibil in eo flagitii. Poterat Augnstus ludis abs se institutis, imo et alio in loco (nam vetera Actia ad Actinm, at Augusteum certamen ad Nicopolim agitabatur: medium fretum intercurrebat), alind nomen imponere, at maluit retinere; imo maluit retento dumtaxat nomine, celebriores alteros ludos in antiquorum locum ad Nicopolim instituere. At Dionis suprascriptum locum pessime interpres expressit: *Ludos musicos ac gymnicos, et certamen equestre cum sacro quinquennali (sic enim ii, qui annonae sunt praefecti, appellantur) constituit, Actios illos ludos dicens.* Quam interpretationem tam perversam (ant saltem ejus τὸ ἰσοδυναμοῦν) a viris magnis, quos non nomino, in suis scriptis usurpatam doleo. Verte in hunc ferme modum, *Adhaec ludos quosdam et musicos, et gymnicos, et equestres, quinquennales sacros (nam sacri ii dicuntur, quibus epula publice suppeditantur) constituit, quos Actia nuncupavit.* De σιτήσει Hieronicarum agit Scaliger loc. cit. Meminit horum Indorum et Suetonius in Octavio Cap. 18. *Ludosque illic* (Nicopoli) *quinquennales constituit.* Tranquilli τὸ *constituit* respondet Dionis τῷ κατέδειξεν, et Strabonis τῷ ἀποδέδεικται. Quasi dicat: *Qui antea triennales ad Actium erant, eos quinquennales Nicopoli fecit.*

Quaeret hic ex me aliquis, an ea sacrorum ludorum, quam modo ex Dione protulimus, definitio, ut ii sint qui σίτησιν habent, adaequet rem definitam. De quo sane dubito. Scriptores magni res tantum tangunt, maxime quum nemo eà aetate ignoraret, quid essent *sacri ludi.* Hinc ἱερονῖκαι dicebantur, qui in iis vicissent. Sacrorum ludorum praerogativas omnes tantisper dum alii detexerint, interim eas non minimas fuisse oportet, quando ex omnibus titulis, quibus Nicopolis decorata fuit, hanc ceteris

praetulit, idque semper in nummis posuit ΙΕΡΑ ΝΕΙΚΟΠΟΛΙΣ.

Atque haec de antiquioribus, novisque Actiacis. Restat jam altera Actiacorum partitio pro locis, ubi agebantur. Nam desitis (1) prioribus Actiacis, qui his successerunt Augustei, terni fuere, tribusque in locis agitabantur. De Nicopoli Epiri jam vidimus. De cujus urbis ludis praeter scriptores meminit inscriptio M. Aurelii Demetrii apud Grut. 314. 1. ubi dicitur vicisse inter cetera ΑΚΤΙΑ. ΕΝ. ΝΕΙΚΟΠΟΛΙ. ΔΙC. ΤΟ. ΔΕΥΤΕΡΟΝ. CΤΗCΑC. ΤΟΥC. ΑΝΤΑΓΩΝΙCΤΑC. Ε. *Actia in Nicopoli bis secundum sistens adversarios quinque.*

At et in Nicopoli altera ad Alexandriam, et Romae iidem celebrabantur. De Nicopoleos Alexandrinae tum condita, quum et ludis testis prodeat Dio eod. lib. LI. Aegyptiaca expeditione ac victoria enarrata, addit: *πόλιν καὶ ἐκεῖ ἐν τῷ τῆς μάχης χωρίῳ συνῴκισε, καὶ τὸ ὄνομα, καὶ τὸν ἀγῶνα ὁμοίως τῇ προτέρᾳ, καὶ αὐτῇ ἔδωκε. Ibi quoque in loco, ubi pugnatum fuerat, urbem condidit, idemque ei nomen, et ludos eosdem attribuit, quos priori* (quam in Epiro condidit) *dederat.* At Strabo de ludis Alexandrinae Nicopoleos tacet, eamque quodammodo extenuat in eo ipso, quod urbe non minorem praedicat. Hujus verba sunt in lib. XVII. p. 795. *Transeunti*, inquit, *Hippodromum Nicopolis occurrit*, (*ἔχουσα κατοικίαν ἐπὶ θαλάττῃ πόλεως οὐκ ἐλάττω*) *quae ad mare habitatur ita, ut non minor urbe censenda sit. Distat ab Alexandria* XXX (Ioseph. in IV. de B. Iud. extremo, posuit XX) *stadiis. Hunc locum Caesar Augustus exornavit* (*ἐτίμησεν*) *quod ibi praelio eos superaverit, qui cum Antonio contra ipsum exierant.*

---

(1) Desitis, inquam, prioribus Actiacis; non est enim audiendus Pitiscus ad Suet. Octav. Cap. 18. duplices simul eodemque tempore ludos comminiscens, unos ad Actium veteres, alteros ad Nicopolim. Quae est puerilis allucinatio, nec tanti est ut refellatur.

Postremo Romae quoque celebrabantur. Dio eod. lib. LI. post ea quae de Nicopoli Alexandrina narraverat, inter honores Augusto in Urbe decretos, hoc posuit: *Et ut ludi in honorem quinquennales haberentur.* Svetonius de Tiberio Cap. VI. *Praesedit et Actiacis ludis, et Trojanis Circensibus, ductor turmae puerorum majorum.* Rursus Dio initio lib. LIII. *Τὴν πανήγυριν ἐπὶ τῇ νίκῃ τῇ πρὸς τῷ Ἀκτίῳ γενομένην* (fort. *γενομένῃ*) *ψηφισθεῖσαν ἤγαγε μετὰ τοῦ Ἀγρίππου, καὶ ἐν αὐτῇ τὴν ἱπποδρομίαν διά τε τῶν παίδων, καὶ διὰ τῶν ἀνδρῶν τῶν εὐγενῶν ἐποίησε, καὶ αὕτη μὲν διὰ πέντε ἀεὶ ἐτῶν, μέχρι οὗ ἐγίγνετο, ταῖς τέσσαρσιν ἱεροσύναις ἐκ περιτροπῆς μέλουσα· λέγω δὲ τούς τε ποντίφικας, καὶ τοὺς οἰωνιστὰς, τούς τε ἕπτα, καὶ τοὺς πέντε καὶ δέκα ἄνδρας καλουμένους.* Quae Xylander sic vertit: *Ludos propter Actiacam victoriam decretos cum Agrippa exhibuit; et in iis equestre certamen per pueros, et viros patricios peregit: iique (deinceps ad nostram usque aetatem) ludi quinto quoque anno facti sunt, eorumque curatio quatuor Sacerdotum collegiis per ordinem incumbit, Pontificibus nimirum, Auguribus, Septemviris,* et *XVviris.* Qua in interpretatione, ut cetera praeteream, illud certe ferri non potest, quo pacto vir doctus illud *μέχρι οὗ ἐγίγνετο* expresserit: *Deinceps*, inquit, *ad nostram usque aetatem;* quasi si legisset *μέχρι τοῦ*, aut *τοῦδε*. At Xylandri corrector Leunclavius nihilo rectius, qui ad oram sic Xylandriana emendavit: *Iique quinto quoque anno*, QVO TEMPORIS SPATIO PERAGEBANTVR, *curae erant quatuor Sacerdotum collegiis* etc. At *μέχρις οὗ*, et *ἄχρις οὗ* sequente imperfecto significat *quamdiu, tantisper dum*, cujus syntaxeos exempla inveniuntur in Henr. Steph. Thes. L. G. Vertendum fuit, ludos illos TANTISPER DVM PERACTI FVERE, quatuor in orbem Collegiis curae fuisse; nam sicut *πενταετηρίδι* quatuor solidi anni inerant, sic et quatuor curatorum collegia in singulos annos singula ludis praeficiebantur. At, ut eo redeam, ex prava interpretatione deperierat nobis pulcherrimum historiae

monumentum, quo significabat Dio jam Romae intermissam, se scribente historiam, ludorum Actiacorum celebritatem. Sic etiam Nicopoli intermissos (1) restituit Iulianus.

Atque in iis dumtaxat tribus locis jam inde ab initio ex Augusti instituto τὰ Ἄκτια celebrabantur. At deinde, uti fit, ea πανήγυρις ad alias paullatim Graecas civitates est propagata; quo referri poterat illud Suetonii in Octav. cap. 59. *Ludos quoque quinquennales paene oppidatim constituerunt.* Sed quum apud Suetonium praecedat ararum et templorum Augusto dicatorum mentio, satius est de Σεβαστείοις in Augusti honorem intelligere, qui et ipsi quinquennales erant, teste eodem Tranquillo ibid. cap. 98. *Mox Neapolim trajecit.........et quinquennale certamen gymnicum honori suo institutum perspectavit.*

Sed tamen, uti dicebam, Actiacum certamen ad alias quoque civitates traductum fuit. Extant ejus rei testes nummi apud Vaillantium in Graecis Imperatorum numismatis, ubi reperias AKTIA μοναδικὸν (2), aut cum ΠΥΘΙΑ vel ΟΛΥΜΠΙΑ. Sed omnes sunt sub posterioribus Caesaribus (3).

At sub Augusti initiis Herodes Magnus extructo Hierosolymis theatro et amphiteatro (quae ex Ioseph. XV. Antiqq. in fine, etiam Caesareae aedificavit), ibi quinquennales ludos h. e. Actiacos in honorem Caesaris quinto quoque anno exhibuit. Videndus de eo Iosephus in XV.

---

(1) Auctor ejus rei Mamertinus in Panegyrico *Pro Consulatu Grat. Act. Iuliano Augusto.* Cap. IX.

(2) In Ancyranorum Nummis, in anteriore parte ΑΝΚΥΡΑΣ. ΜΗΤΡ. Β. ΝΕ. h. e. *Ancyrae Metropoleos bis Neocorae.* In aversa AKTIA.

(3) In Nummis Severi, et Caracallae Perinthiorum conjunctim legitur ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ. At in Nummo Getae eorumdem Perinthiorum ΑΚΤΙΑ. ΠΥΘΙΑ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΑ. Alexandri Severi eorumdem Perinthiorum ΑΚΤΙΑ ΠΥΘΙΑ. Item in nummis Thessalonicensium Philippi Senioris conjunctim legitur ΑΚΤΙΑΠΥΘΙΑ. In Num. vero Elagabali Pergamenorum in una parte ΑΚΤΙΑ, in altera ΟΛΥΜΠΙΑ. In num. Valeriani eorumdem Pergamenorum ΟΛΥΜΠΙΑ ΑΚΤΙΑ.

Reperiuntur etiam ACTIA A Latinis in nummis Tyri etc. apud Vaillantium in *Num. Latinis Coloniarum;* ex quo huc afferendi........

Αρχαιολ. 8. initio, ubi copiose ludorum magnificentiam describit, qui et gymnici et musici, iidemque et equestres erant h. e. eadem omnia quae Romae, et Nicopoli Caesar exhibebat. Ad equestres quod attinet, haec habet: πρέθηκε δὲ καὶ τεθρίπποις καὶ συνωρίσι, καὶ κέλησιν ἐ μικρὰς δωρεάς. *Quin et non exigua praemia et quadrigis, et bigis, et equitibus singularibus* (sive desultoribus) *proposuit*. Quae eo heic posui, ut intelligatur quale fuerit equestre certamen tum Romae, tum Nicopoli in Actiacis. Sed multo sunt accuratiora, quae idem diligentissimus Scriptor affert in I. Αλωσ. 21. §. 8. ubi de amphitheatro theatroque extructis locutus addit, καὶ πενταετηρικὰς ἀγῶνας καταστησάμενος, ὁμοίως ἐκάλεσεν ἀπὸ τῦ Καίσαρος, πρῶτος αὐτὸς ἆθλα μέγιστα προθεὶς ἐπὶ τῆς ἑκατοστῆς ἐννενηκοστῆς καὶ δευτέρας Ολυμπιάδος, ἐν οἷς ὐ μόνον οἱ νικῶντες, ἀλλὰ καὶ οἱ μετ᾽ αὐτὺς, καὶ οἱ τρίτοι τῦ βασιλικῦ πλύτυ μετελάμβανον. *Et ludis quinquennalibus institutis, itidem a Caesare eis nomen indidit, quum ipse primus maxima praemia certantibus proposuisset, Olympiade centesima nonagesima secunda, in quibus ludis non victores tantum, sed et iis proximi, et tertii regiarum divitiarum participes fiebant*. Ne tibi imponat adnotator Aldobrandinus, qui heic descriptos, alios facit ab illis in XV. Αρχαιολ. 8. Illud πρῶτος αὐτὸς Editor retulit ad sequentia. Sed possit alius ad antecedentia referre, ut Herodes primum illa Σεβάστεια appellarit; quae postea multis in locis celebrata fuere.

Sed utut est, ab his Actiacis Ἀκτιάδας numerari voluit Herodes (vide in I. Αλωσ. 20. §. ult. ubi ait μετὰ τὴν πρώτην Ἀκτιάδα i. e. Anno V. Augusteor. sive an. 1. primae Actiadis), sicut ab Olympiis ludis numerantur Olympiades. De quo loco Scaliger in *De Emend. Temp.* et *ad Euseb.* num. 1988. et Petavius in locis signatis....... Nescio enim numerentur ne ab an. captae Alexandriae ex Petav. an a primis Actiacis ab Augusto celebratis (ipso VI. et Agrippa II. Coss.), de quibus Dio initio Lib. LIII. Scaliger vult Actiadas concurrisse cum Olympia-

dibus: id quod et ex producto loco I. Αλωσ. 21. probare possum, ubi celebrantur ludi Olympiade 192. i. e. anno primo ejus Olympiadis (d).

Sed redeo ad ludos Nicopoli ad Actium actos. Putarunt viri doctissimi eorum procurationem Lacedaemoniis delatam fuisse Strabonis auctoritate permoti, qui Lib. VII. pag. 325. post illa verba *Ἀποδέδεικται δ' ὁ ἀγὼν Ὀλύμπιος τὰ Ἄκτια, ἱερὸς τῦ Ἀκτίυ Ἀπόλλωνος*, quae in superioribus hujus Capitis exposuimus, statim addit: *τὴν δ' ἐπιμέλειαν ἔχυσιν αὐτῦ (ἀγῶνος) Λακεδαιμόνιοι· αἱ δ' ἄλλαι κατοικίαι περιπόλιοι Νικοπόλεως εἰσίν. Ἤγετο δὲ καὶ πρότερον τὰ Ἄκτια τῷ Θεῷ, ςεφανίτης ἀγὼν, ὑπὸ τῶν περιοικων, νῦν δ' εὐτιμότερον ἐποίησεν ὁ Καῖσαρ.* Ea sic vertit interpres Xylander: *Procurant* (illos ludos) *Lacedaemonii. Reliqua oppida et vici sub Nicopoli sunt. Quondam quoque Actia, coronarium certamen, Deo a vicinis celebrabantur: sed et ejus dignitatem auxit Caesar.* Itaque postquam ea sic conversa fuere, ea persuasio virorum eruditorum omnium animis haesit, Lacedaemonios ei ludicro praefuisse. Vide Berkelium ad Stephanum in *Ἄκτια*, et alios. At praeclare nimirum Caesar suae Nicopoleos dignitati consuluisset, si iis ipsis ludis, quos exornandae civitatis gratia instituebat, longe a Laconia arcessitum populum praeficeret! Mihi locum Geographi attentius consideranti mendum suboluit. Quid enim inter procurationis ludorum Lacedaemoniis traditae, et antiquiorum Actiacorum ludorum mentionem, facit illud: *αἱ δ' ἄλλαι κατοικίαι* etc.? Nunc non erat his locus, ut importune interloqueretur, *cetera circa oppida sub Nicopoli esse.* Quae huic adnotationi cum

(d) » Quae in hoc §. et sequenti scripta sunt, in autographo Mazochius lineis » in orbem versis inclusit. Et sane τὰ κείμενα nescio quid incompti ac confusi » exhibet, ita ut ad conjectandum simus adducti, ideo ea lineis inclusisse, quod » ad secundas curas revocanda censeret auctor.

praecedentibus et subsequentibus *συνέχεια*? An igitur totum hoc *αἱ δ' ἄλλαι* usque ad *εἰσιν* aut inducemus, aut tamquam luxatum in aliam sedem restituemus? Si id facerem, nihil facerem praeter criticorum morem, quorum arbitrio veteribus scriptis leges figuntur, ac refiguntur. Verum pro mea verecundia, una tantum litterula in ejusdem organi h. e. dentalem alteram commutata, nihil amplius in magnum Geographum licere mihi patiar. Pro *αἱ δ' ἄλλαι* lege meo periculo *αἱ τ' ἄλλαι*, *quaeque alia*, aut *et quotquot alia oppida* etc. *Curam ludicri et Lacedaemonii* (credo ex antiqua consuetudine veterum Actianorum certaminum, id Lacedaemoniis servatum) *gerunt, et quotquot alia oppida circa Nicopolim sunt*. At Nicopolis multo magis, nec id monendum videbatur. Περιπόλιοι (1) κατοικίαι sunt minora circa πόλιν aut metropolim πολίχνια, urbeculae, oppida etc. Sic etiam vetera illa Ἄκτια, ait Strabo, ἤγετο ὑπὸ τῶν περιοίκων. Περίοικοι autem et περιπόλιοι apud Strabonem pro eodem ponuntur. Facessat ergo illa Lacedaemoniorum praefectura, quam in Nicopolitarum dedecus hucusque intulerunt.

Curatio ergo ludorum non penes solos Lacedaemonios (quod ad hunc diem creditum fuit), sed et Nicopolitas, et Lacedaemonios, et vicinos Nicopolitis populos, sive per vices, sive conlatis sumptibus. At praefectura ludorum, quibusnam demandabatur? Non est dubitandum quin penes Sacerdotes esset; ita enim consuetudo Graecarum maxime civitatum ferebat. Huc adde, quod Dionis locus supra hoc capite recitatus, docet Romae quatuor Sacerdotum Collegiis Actiacorum curam (*μέλησαν*, sed sub eo vocabulo intellige etiam praefecturam) in orbem fuisse commissam. Idem de Nicopolitanis Actiacis sine dubio est affirmandum.

---

(1) Sane hoc exemplo ditabitur posthac Henr. Steph. Thesaurus L. G., in voce Περιπόλιος, ubi nullus pro hac, quam assevui, certissima notione locus Auctoris affertur.

Sed jam egregius ad eam rem illustrandam Arriani locus lib. I. c. 19. afferatur simul et illustretur (e)......

. . . .

. . . .

CAPUT IV.

De Nicopolis conditione, et an Colonia Romana fuerit.

Venio ad partem disputationis hujus de Nicopoleos conditione, praecedentibus nihilo faciliorem, maxime propter duorum principum Scriptorum dissonantiam. Nam ecce Tacitus extremo Annalium V. Nicopolim *Coloniam* appellat. At contra Plinius H. N. IV. 1. *Acarnaniae quae antea Curetis vocabatur, oppida: Heraclia, Echinus, et in ore ipso Colonia Augusti Actium, cum templo Apollinis nobili, ac civitate libera Nicopolitana.* Nec possunt mea sententia in eamdem urbem haec duo convenire. Colonia Romana non poterat nisi civium Romanorum esse. At libera civitas quid sit, docebit Proculus (ex Leg. 7. §. 1. Dig. Lib. 49. Tit. 15. *De Captiv. et de Postlimin. revers.*) *Liber.. populus est is, qui nullius alterius populi potestati est subiectus, sive is foederatus est; item sive aequo foedere in amicitiam venit, sive foedere comprehensum est, ut is populus alterius populi majestatem comiter conservaret: hoc enim adiicitur, ut intelligatur alterum populum superiorem esse: non ut intelligatur alterum non esse liberum: quemadmodum* etc. vel si mavis subtilius aliquid de ea

(e) » Sic desinit Autographum hujus Capitis, sub quo adnotavit Mazochius inter lineas in orbem versas « *Ex Casaub. ad Suet. Octav. Cap. 18.* » » *a quo in intelligentia discedo* » Extat Arriani locus in *Dissert. Epicteti.* » pag. 108. Tom. I. Edit. Schweighaeus. Σήμερον τις ὑπὲρ ἱερωσύνης ἐλάλει μοι τοῦ » Αὐγούστου· λέγω αὐτῷ, Ἄνθρωπε, ἄφες τὸ πρᾶγμα, δαπανήσεις πολλὰ εἰς οὐδέν. Ἀλλ' οἱ τὰ » σύμφωνα, φησί, γράφοντες, γράψουσι τὸ ἐμὸν ὄνομα· Μήτι οὖν σὺ τοῖς ἀναγινώσκουσι λέγεις » παρὼν, Ἐμὲ γεγράφασιν; εἰ δὲ καὶ νῦν δύνασαι παρεῖναι πᾶσιν, ἐὰν ἀποθάνῃς, τί ποιή- » σεις; Μενεῖ μου τὸ ὄνομα· Γράψον αὐτὸ εἰς λίθον, καὶ μενεῖ· Ἄγε, ἔξω δὲ Νικοπόλεως » τίς σοῦ μνεία; ἀλλὰ χρυσοῦν στέφανον φορήσω· Εἰ ἅπαξ ἐπιθυμεῖς στεφάνου, ῥόδινον λα- » βὼν περίθου, ὄψει γὰρ κομψότερον.

ἐλευθερίᾳ decernere, consule Spanhemium in *De Praest. et Usu Numism.* Diss. 9. et in *Orbe Rom.* Cap. X. Adde hoc etiam, quod Strabonis, Dionis, Pausaniae, et aliorum de Nicopoli narrationes eo nos ducunt, ut Graecanicam et liberam civitatem, non ut coloniam putemus. Eodem nos ducunt ornamenta urbis hujus in sequentibus referenda, ut quod in Amphictyonum concilio locus ei fuerit, quod ἱερὰ quod ἄσυλος, quod ναυαρχὶς diceretur; adde ludos, gymnasium, stadium et cetera pro more Graecarum civitatum. Postremo et Nummi sub Augusto percussi eodem nos quoque ferunt, qui et Graeco ore loquuntur, et Augustum conditorem (1) depraedicant: quum si colonia deducta esset, aliqui saltem Latini extarent cum elogio *Coloniae*.

Quid ergo? fefellitne, an falsus est Tacitus? Neutrum gravissimi Scriptoris auctoritas dici patitur: nec vero ei, si urbem illam contra rerum fidem coloniam appellasset, impune futurum fuisse reor: nam in re tam clara ac manifesta aequales omnes docti juxta atque indocti reclamassent, eumque erroris redarguissent. Ergo quaerenda est via, qua praestantissimo Annalium Scriptori non minus, ac Plinio sua constet fides. Equidem quascumque excogitare potui nodi hujus solutiones, in medium afferam, de quibus integrum lectori arbitrium permitto.

1. Ac primum fuit, quum putarem, inter Plinii et Taciti scribentium tempus aevo intermedio illam coloniam scriptam fuisse. Quumque sub Trajano Tacitus Annales conscripserit, sive a Domitiano, sive a Nerva, aut a Trajano ipso coloniae decus Nicopoli accessisse conjiciebam. Sed in Domitianum propensior eram, quippe ad ludicra procliviorem, qui ob eam fortasse causam de deducenda in locum Actiaci certaminis colonia cogitaverit. Quid quod a Suida mihi patrocinium pollicebar? Nam narrante Gel-

(1) Nummi Augusti Nicopolitarum has ferunt Inscriptiones: ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΚΤΙΣΤΗΣ, et ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ ΚΤΙΣΤΗΣ, et ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΚΤΙΣΜΑ ec. » Ex Ekell. » Doctr. Num. Vet. Tom. 2. p. 166. transcripsimus.

lio XV. 11. Domitiano imperante philosophos nrbe et Italia ejectos, *qua tempestate* Epictetum quoque philosophum *Nicopolim Roma* decessisse; nescissemus in quam ex tot ὁμωνύμοις Nicopolim ille secesserit, nisi illa in Epiro sua seipsa celebritate, aut vero Snidas in Ἐπίκτητος prodidisset, Ἐν Νικοπόλει, inquit, τῆς νέας Ἠπείρου ᾤκησε. *In novae Epiri urbe Nicopoli habitavit.* At quae est ista Epirus nova? Recentiorum est temporum hoc vocabulum: nam medio aevo duplex Epirus distinguebatur, *Vetus*, quae est illa veteri Graeciae cognita, in qua et Nicopolis erat, et *Nova*, quo nomine Illyris veniebat. At in toto Illyrico, sive Nova Epiro, nnlla est prorsus Nicopolis, quae tantum in Vetere nobilis fuit. Quid ergo Suidas (ant quisquis is est vitae Epicteti consarcinator) sic posuit? Suspicabar illnm ex aliquo antiquiore historico descripsisse, in qno scriptum erat, Epictetum babitasse Ἐν Νικοπόλει τῇ νέᾳ Ἠπείρου. Quum autem centonarius iste τὴν νέαν Νικόπολιν non nosset, *Novam Epirum* pro sui temporis Geographia nosset, ex τῇ νέᾳ fecisse τῆς νέας. At ἡ νέα Νικόπολις erat colonia Romana Nicopolim deducta; qnia quum colonia deducebatur, aratrum circnm ducebatnr, et omnia eodem plane ritu fiebant, quo urbes condebantur, unde et *coloniae condi* dicebantur, et qui deducebant *conditores*. Habitaverit ergo Epictetus in *nova Nicopoli* h. e. in colonia tunc recens eo deducta sub Domitiano. Verum quum majus aliquod conjecturae huic robur quaesiturus, Arriani *Commentarios de Epicteti Disputationibus* in manus snmsissem, ea reperi, quae cum deductione coloniae stare nequeant. Ergo ille Nicopoleos incola Epictetns apud Arrianum IV. 1. quum de vera solidaque *libertate* ex Stoicorum scitis disputaret, inter cetera sic Nicopolitas in sua sibi νομιζομένῃ libertate placentes inducit: οὕτω καὶ Νικοπολῖται ἐπιβοᾷν εἰώθασι, νὴ τὴν Καίσαρος τύχην ἐλεύθεροι ἐσμεν. *Sic et Nicopolitae acclamare solent, Per Caesaris fortunam liberi sumus.* Certe enim non de alia libertate gestiunt heic Nicopolitae, nisi de ea, ex qua Nicopolis ἐλευ-

θέρα et *libera civitas* appellabatur. At ea, uti supra demonstratum fuit, nihil habebat cum colonia civium Romanorum commune. At, inquies, si non sub Domitiano, at sub Nerva, at sub Trajano principe, omnino antequam Annales scriberet Tacitus (qui certe κατὰ πρόληψιν ei urbi coloniae nomen indiderit) ea deductio fuit. Quum me in omnes partes verterem, transtuli me ad nummos, si quid inde lucis haurirem: at in iis (quos infra suo loco describam) nihil nisi Graecanicum et pro ritu Graecarum civitatum reperi.

2. Verum si minus colonia civium Romanorum extitit; at certe colonia Graeca fuit, quomodo Massilia Phocaeensium, Neapolis Chalcidensium, et sexcentae in eumdem modum coloniae dicebantur. Vide supra Cap. II. Strabonis, Pausaniae loca, et Graecum Epigramma; ex quibus intelliges vicinarum urbium cives ad Nicopolim habitandam confluxisse. Iis in narrationibus videas usurpatum verbum συνοικίζω quod Graecis, quum de coloniis conditis sermo est, familiare reperio. Verum huic defensioni Tacitus aperte reclamat, qui non ἁπλῶς coloniam, sed *Romanam Coloniam* diserte dixit extrem. Annalium V., ubi Poppaeus Sabinus Praeses Achaiae *Nicopolim Romanam Coloniam ingressus* dicitur.

3. At, credo, illud *Romanam* non a Taciti manu fuit, sed ab exscriptorum; qui non de Graeca, sed de Romana, uti fit, esse sermonem rati, putassent Tacitum mancum fore, nisi ibi τὸ *Romanam* de suo supplessent. Fateor, non illibenter in librarios me culpam collaturum, si quod varietatis indicium e veteribus libris afferatur. Interim nihil est, cur vulgatam scripturam sollicitemus.

4. Potest fortasse et ea ratio iniri, ut simul Nicopolis et *libera Civitas* jure Graecanico fuerit, et civium Romanorum Colonia. Memini Plinium in nonnullis urbibus id notasse, permixtim a veteribus incolis et Romanis civibus sic habitatas, ut illi suum haberent consilium, ac suis legibus viverent, hi item suos Decuriones ac cetera more Romano.

Cur non et tale quidpiam Nicopoli fuerit? Ibi quia τὸ Ἑλληνικὸν praevalebat, ideo Plinio *civitas libera* appellatur. At Tacitus, cui de Romano Praeside sermo erat, Coloniam Romanam maluit nuncupare. Id si admittimus, Augustus qui Actium, auctore Plinio, idem et Nicopolim colonos deduxerit oportet. Jam vero id si non displicet, sive Nicopolitanae, sive Actiae coloniae vestigium in mutila Gruteri Inscriptione videor deprehendisse; quam alibi commodius producam.

Huic simile est quod Actium colonia sensim evanescentem Nicopolim aliquando traductum suspicabar, atque hinc ei *Actiae* cognomen quaesitum, quod Latinis tantum, non item Graecis Scriptoribus agnoscitur. Sed de hoc dicam Cap. VI.

5. Postremo si ex tot viis nulla idonea visa fuerit ad nobilissimum Annalium auctorem a reprehensione vindicandum, hoc certe, quod unum restat, dicemus, statuemusque, Tacitum, quum *Coloniam* dixit, Graecam coloniam intellexisse, atque ex multis circa populis in unum Nicopolim συνοίκισμον commigrasse; eundem vero, quum *Romanam* addidit, non aliud praeseferre voluisse, quam eam Graecorum coloniam, non Diomedem, non.....aut alium ex Graecis Heroibus (quales Graeciae oppida auctores passim jactabant), sed Romanum conditorem agnoscere; Augustum scilicet, quem ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΚΤΙΣΤΗΝ ubique urbis illius nummi loquuntur.

Atque haec ad amoliendum a tanto Scriptore ἀνιστορησίας notam conanti, etsi maxime aliis fortasse satisfacerem, mihi ipse non satisfaciebam. Tandem in ea commentatione defatigato vix tandem, tamquam in maxima et incerta jactatione gubernatori, certissima praeter spem ac fidissima lux Cynosurae affulsit, qua non huic tantum sed et aliis difficultatibus offusa caligo dispellitur. Id quale sit, nec paucis exequi possum, nec nunc his locus est. Postquam ceteras mihi initio propositas hujus exercitationis partes percurrero, tum ad extremum ad multiplicem hujus

fabulae nodum dissolvendum tamquam Deus e machina demittetur.

CAPUT V.

De ceteris Urbis hujus ornamentis.

Age vero cetera Urbis hujus ornamenta, quibus eam Conditor honestavit, percurramus. Ac facile primum inter ea decora locum vindicabit sibi quod Augustus ei locum Amphictyonico consilio attribuerit. Auctor Pausanias in Phocicis Cap. 8. ubi ait: *Augustus deinde Imp. Nicopolitanis etiam, qui ad Actium sunt, locum esse inter Amphictyonas voluit ..... suffragia vero quae illorum* (Magnetum, Maleensium, etc.) *et Dolopum fuerunt.... ad Nicopolitanos transtulit.... Athenae quidem, Delphi et Nicopolis obeunt omnes Amphictyonum conventus: nam ex ceteris populis vicem quisque suam rato temporis ambitu in eum consessum conveniunt.* (a).........

. . . .

. . . .

Cetera Nicopoleos insignia ex nummis comperta habemus; nimirum quod ΙΕΡΑ, quod ΑΣΥΛΟΣ, quod ΝΑΥΑΡΧΙΣ fuerit. Et ἱερᾶς quidem appellatio in omnibus ferme ejus urbis numismatis reperitur. Ut ecce in Augusteis nummis: ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΚΤΙΣΤΗΝ in parte altera ΙΕΡΑ ΝΙΚΟΠΟΛΙΣ et ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΚΤΙΣΤΟΥ ΙΕΡΑ ΝΙΚΟΡΟΛΙΣ. Ac deinde sub Hadriano et sequentibus Caesaribus ΝΕΙΚΟΠΟΛΙΣ (sic enim semper cum diphthongo in prima syllaba ab Hadriani temporibus scribitur) semper ΙΕΡΑ nuncupatur, quae ἱερᾶς appellatio μοναδική *solitaria* notatur in nummis Hadriani, Antinoi, Iul. Domnae, Caracallae, Elagabali, Iul.

(a) » Ad oram paginae haec adlevit Mazochius.
» *In Pausaniae locum est in aliqua nota ex Graeco commentandum.*
» Hoc vero non fecit, et reliqua pagina alba est in autographo.

Mammaeae, Philippi Senioris, Otaciliae Severae, Trajani Decii, Treboniani Galli, Valeriani, Gallieni (cujus pluscu-li, quam aliorum Caesarum, reperiuntur), Saloninae. At in Plautillae nummo legitur ΙΕΡΑΣ ΝΕΙΚΟΠΟΛΕΩΣ ΑΣΥΛΟΥ i. e. *Sacrae Nicopolis inviolabilis*, et in Alex. Severi numismate ΝΕΙΚΟΠΟΛΕΟΣ ΙΕΡΑΣ ΝΑΥΑΡΧΙΔΟΣ. *Nicopolis Sacrae Classicae.* Numismatum horum descriptionem qui volet, adeat Vaillantium in Graecis Imperatorum Numismatis, Quid vero haec elogia ΙΕΡΑΣ, ΑΣΥΛΟΥ et ΝΑΥΑΡΧΙΔΟΣ sibi velint, docte et erudite exequutus est Spanhemius in *De praest. et usu Num.* Diss. 9.

At mirari subit, quid sit, cur ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ elogium nunquam in Nicopolitanorum nummis compareat; nam eorum civitatem *liberam* fuisse docet Plinius, cujus verba in sequentibus expendentur. Sane eo fit, ut suspicer aliis fortasse privilegiis ornatam fuisse Nicopolim, quae silentibus nummis (qui certe de Nicopolitanorum ἐλευθερία silent) et auctoribus, ignorare cogimur. Deinde et illud crediderim omnibus titulis et praerogativis anteposuisse Nicopolitas hanc ἱερότητος dignitatem, quando aliis neglectis, huius solum in eorum nummis plerumque fit mentio. Et quidem eas urbes ἱερὰς appellatas statuit Spanhemius, quae templum aliquod singulare haberent. An igitur Nicopolis ἱερὰ est appellata propter celeberrimum Apolliuis templum antiquissimum (1)? At istud ad Actium erat, quod Augustus post victoriam ampliavit, teste Tranquillo: nam illud alterum quod in loco castrorum suorum fecit, nihil aliud, quam ἕδος τι ὑπαίθριον (Dionis ea sunt verba) erat. Eo fit ut ἱερᾶς appellatio Actio veteri oppido, quam Nicopoli convenientior videatur. Atqui ex eo intelligitur, vetus

(1) Ante Bellum Peloponnesiacum teste Thucydide I. sect. 29. Ἐπειδὴ δὲ ἐγένοντο ἐν Ἀκτίῳ τῆς Ἀνακτορίας γῆς, οὗ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνός ἐστιν, ἐπὶ τῷ στόματι τοῦ Ἀμβρακικοῦ κόλπου etc. *Postquam autem ad agri Anactorii* Actium *pervenerunt, ubi templum est Apollinis, in faucibus sinus Ambracii*, et Polyb. lib. 4.

illud Actiacum templum, postquam ab Augusto ampliatum fuit, Nicopolitis attributum fuisse, eorumque curae, cultuique permissum. Possit fortasse et ab Actiacis ludis (quos ἱεϱοὺς constituit Augustus) illa de qua loquor ἐπωνυμία derivari. Sed illud quod supra posui, malo (a).

. . . .
. . . .
. . . .
. . . .

CAPVT VI.

De praecipuo Nicopolis ornamento, Divini Scilicet Apostoli παϱαχειμασία.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . . (b)

CAPVT VII.

De Actio oppido, promontorio, templo, portu, deq. Colonia eo ab Augusto deducta.

. . . .
. . . .
. . . .
. . . . (c)

(a) » Post haec paginam reliquit vacuam Mazochius; in ima ejus ora sequentia adnotavit » *Epirus vetus sive Provincia Nicopolitana* τὸ Νικοπολιτῶν » Θέμα ».

(b) » Nil aliud praeter sequentia verba scripsit Mazochius in hoc Capite. » *Martyrologia. De utraque Nicopoli* ».

(c) » Nil praeter titulum adest hujus capitis ».

CAPVT VIII.

De Nicopoli Actia.

Non tantum in Inscriptione M. Aurelii Theodoti, quam initio illustrandam suscepi, quaeque huic Dissertationi occasionem praebuit, *Actia Nicopolis* memoratur, sed et in Antonini Itinerario, in Peutingerianis tabb., in Iornande, in Anonymo Ravennate, *Nicopolis* cum additamento *Actiae* mentionem reperio. Ea loca infra commodiore loco una cum aliis dabimus.

At heic primum quaeri ex me potest, discriminis ne causa (1) *Actiae* additamentum Nicopoli ab Augusto conditae haeserit, ut a tot aliis *ὁμωνύμοις* urbibus discerneretur; an vero cognominis locum habuit, veluti Nicopolis illa ad Nestum a Trajano condita, *Ulpia* cognominata fuit. Sane putabam non *διακριτικὸν* id additamentum esse sed *ἐπωνυμίαν*. Nam si ad discriminandum id addebatur, cur, ubi maxime necessarium id discrimen fuit, τὸ Actia non adjungitur? contra vero ubi nulla id necessitas poscebat, immo satis sese Nicopolis illa cujus esset, prodebat, tunc vero additum reperitur? Ut ecce in Antonino, in Peutinger. tabb., in Ravennate anonymo, cum hi Epiri itinera aut loca describerent, dubium esse non poterat, quin ea Nicopolis Epiri esset, non illa ad Istrum, aut ad Nestum aut quaevis alia, quae ab Epiro longius aberat. Cur ergo *Nicopolis Actia* scriptum reliquerunt? certe quia illud *Actia* pars erat universi nominis.

Atqui si istud cognomen fuisse admittimus, cur in posterioribus tantum Scriptoribus, veluti Antonino, Tabular. Peuting. Auctore, Iornande, Ravennate id reperi-

---

(1) Doctissimus Cellarius *Orb. Antiq.* Tom. I. pag. 879. (qui primus ac solus hujus additamenti meminit, ex Antonini tantum et Ravennatis Anonymi auctoritate) putavit discriminis id loco positum. Et......

tur? An quia sero admodum id cognomen Nicopoli quaesitum fuit? At M. Aurelii Theodoti Inscriptio (quae alterius Christi saeculi, ad summum ineuntis tertii videtur) multo id cognomen antiquius arguit. Deinde cur in Latinis tantum sive Scriptoribus sive titulis reperitur, in Graecis (apud quos frequentior est Nicopoleos mentio) non item? Haec mihi fateor non levem creasse molestiam; non multo certe minorem, quam illud Taciti (quod supra Cap. IV. in omnes partes versavimus, nec dum plane expedivimus), quo Nicopolim *Romanam coloniam* appellavit; aut quos conflictus Cap. I. inter scriptores facile principes composuimus.

In his dum essem tota cogitatione defixus, ecce ab his ipsis itinerum descriptoribus suppetias non his tantum, quas modo exposui, difficultatibus, sed et plane desperato Annalium Taciti loco. Res ita se habet. Hucusque persuasum fuit, Antoninum iter suum per Nicopolim illam ab Augusto conditam direxisse, quum contra ille per *Actium*, quam *Actiam Nicopolim* appellat, deduxerit. Unde hoc colligitur? Multis modis. Iter hoc Antonini terrestre est, sed per loca maritima orae Epiri et ceterarum deinceps regionum usque ad Macedoniam. Inter loca autem maritima non ut urbs quaeque clarissima erat, ibi locum habet, sed ea plerumque loca quibus inesset portus opportunitas. Itaque et portuum nomina ut *Glycys Limen* ibi videas, et fluviorum ut *Acheloi* et *Eveni*, et montium ut *Acrocerauniorum*. Haec eo dixi, ne cui turpe videatur clarissimam urbem Nicopolim Actio posthabitam. Sed itinerum descriptor videtur illud iter per *loca maritima* in usum fecisse praefecti orae maritimae, aut vero Praesidis Achajae, quum oram inspectum iret. Ergo quia Nicopolis portu suo carebat (nam ex Strabone Comarus LX aberat stadiis, alius innominatus XII), at Actium portu antiquissimo et celebri instructum erat, ideo Actium (quae *Actia Nicopolis* est) Nicopoli illi celebratissimae in hoc itinere anteponitur.

15

2. Accedit, quod si iter illud usque Nicopolim ad sinus Ambracii fauces in sinistro littore positam processisset, circumeundus erat totus sinus ille, deinde ad Acheloi usque hostia progrediendum. Sed faciamus ita voluisse structorem nostrum (sic enim qui praeibant itineri, veteres appellabant), at numeri certe milliarium, qui in Antonino adscribuntur, utraque parte immensum a veritate aberrant. Nam e *Glycy-limene* ad *Actiam Nicopolim* (si nova urbs intelligitur sinistro in littore) M. P. XX. h. e. *Millia passuum viginti* adscripta reperiuntur, cum sit certe duplo id minus intervallum, Strabone (1) teste. Contra vero ab *Actia Nicopoli* ad Acheloum tantum M. P. XXV. notantur, quum revera a celebri Nicopoli ad Acheloi εἰσβολὰς sint plus minus LXX. Etenim a Nicopoli ad intimum recessum sinus Ambracii erant M. P. XX. deinde a sinus cuspide ad Acheloi ostia immensum est spatium milliarium circiter L. At contra si per *Actiam Nicopolim* Actium illud vetus intelligas, et commodior erit inter mansionum loca spatiorum partitio, et numeri in Antonino adscripti levi tantum correctione ex veteri Peutingeri tabula restituentur. Nam ecce a Glycy-limene ad *Actiam Nicopolim* (i. e. Actium) erant milliaria XLV. (ut est in Peuting. Tab. ex qua emendandus Antoninus, ubi pro XX. reponendum XXXXV.) Deinde ab *Actia Nicopoli* ad Acheloum millia erant XXXIIII, ut in Peuting. ex qua rursus Antonini numeri (qui ibi sunt XXV) sunt ampliandi.

3. Sed quando Peutingerianae tabulae mentionem injeci, mirum quantum ea argumento nostro opitulatur. In ejus Itinerariae Tabulae Segmento V Actia Nicopolis

---

(c) Strabo Lib. VII. p. 224. Γλυκὺν λιμένα sive Dulcem portum parum a *Comaro* portu removet. Μετὰ δὲ Γλυκὺν λιμένα ἐφεξῆς εἰσὶ δύο ἄλλοι λιμένες, ὁ μὲν ἐγγυτέρω καὶ ἐλάττων Κόμαρος etc. *Dulcem portum duo alii sequuntur, unus propior idemque minor, Comarus* etc. Quum autem Comarus, teste Strabone ibid. LX. Stadiis (h. e. mill. septem et semis) a Nicopoli abesset, sequitur, decem aut paullo amplius ab eadem Nicopoli abfuisse *Glycyn-limena*.

corrupte bis legitur, semel *Acta Nicopoli*, iterum Ab *Actia Nicopori* (1), sed ita ut centrum sit quatuor itinerum; quippe quum sinistro maritimo itinere ad usque Aulona procederet, dextro vero maritimo per longos circuitus usque Thessalonicam et *Melissirgim*, non secus ac in Antonino, cui hoc ultimum scribitur *Mellissurgim*. Sed duo sunt alia intermedia ac mediterranea itinera, ab eadem Actia Nicopoli, tamquam centro progredientia, unum per Larissam, alterum brevius ad usque Apolloniam et *Napsum* fluvium. Iam hoc primum (ut cetera taceam) veteri Actio, non item Nicopoli convenit. Ad oppidum Actium propter opportunitatem portus, et quia extra ostium sinus erat exposita adnavigantibus (adde et templi celebritatem), undique trajectus erant; eoque ab illo oppido plura in omnes partes terrestria itinera procedebant. Id vero Novae illi Nicopoli minus conveniens erat, non tantum quia suo portu carebat (nam qui vicinior erat, is teste Strabone XII stadiis aberat), sed ob eam potissimum causam, quia quum nova urbs, quamlibet frequens ac dives, conditur, non continuo ejus urbis gratia mutantur itinerum priorum directiones. Ergo *Actia Nicopolis* illa, a qua in Tabula tot prodeunt huc atque illuc viae, vetus est illud Actium bello Peloponnesiaco antiquius.

At in eadem, de qua loquimur, Tabula a *Glycylimene* ad *Actiam Nicopolim* longius sane est viae amfractuosae spatium (quum ceteroqui a *Dulci portu* ad Nicopolim Epiri via brevissima ac recta esset). Adhaec autem *Glycys-limen* in cujusdam sinus, cujus meminit Strabo, recessu intimo adsidet. Ex quo intelligitur, a Glycylimene Actium petentibus non fuisse circumeundum sinum Ambracium. Nam cum Glycys limen sinus sui cuspidi

(1) ..... posterius Palmerius....(in *Graecia Antiqua* pag. 376.) ut cui *Actia Nicopolis* Antonini, et aliorum penitus ignota esset, corruptius fecit, dum legi jubet *Actio Nicopo!i* sine ullo sensu.

haereret, recta inde ad Ambracii cuspidem via erat, a qua deinde ad Actiam Nicopolim iter flectebatur, ut in Peutingeri tabula animadvertis, cui medio viae ductu sinum Ambracium descriptum vides, sed ita ut intima sinus illud iter praetervehatur. Dices fortasse dexterius saltem sinus Ambracii latus fuisse radendum, ut Actium perveniretur. Ne hoc quidem. Nam male in hodiernis tabulis Actium collo sinus et intra sinum adpingitur, quod extra Ionio mari patebat, et ita ut inter oppidum et sinus ostium intercederet Actium promontorium. De quo vide Strabonem et Dionem et Palmer...... At Auctor Tab. Peutingerianae longius fortasse, quam par erat, Actiam Nicopolim et centrum illud viarum a sinu Ambracio disjunxit, de quo heic (1) non disputo.

Iam vero quod viae spatium a Glycy-limene ad Actiam Nicopolim in Peuting. Tab. ad M. P. XLV pertinet, id non potest ullo modo de Nicopoli nova, uti supra jam demonstravimus, intelligi, ac necessario debet ad vetus Actium referri, quo a Glycy-limene certe non minus XXXXV M. P. per viarum ambages numerari poterant. Isque numerus, uti supra monebam, est in Antonino pro XX reponendus.

Deinde ab Actia Nicopoli ad Acheloum Antoninus M. P. XXV posuit, quae essent amplius centum, si Nova Nicopolis est ibi capienda, uti supra demonstratum fuit. At vero si vetus Actium intelligitur, longe minus est spatium, sed ne sic quidem Antoniniani numeri recto stant talo. Nam in Tab. Peuting. ad Actia Nicopoli ad *Perdioricto* sunt XV, hinc ad *Halisso* sunt XX, postremo inde

(1) Revera fieri potuit, ut templum et oppidum Actium aliquanto remotius, quam creditur, ab ostio sinus esset, quia promontorium Actium fortasse longius quam creditur, protendebatur: de quo qui promontorium viderint, judicabunt. At interim et hoc facile est, Auctorem Tab. παχύτερον ista delineasse. At certe is isto modo sententiam nostram verisimiliorem reddit, quia non erat sinus Ambracius dextro latere circumeundus, qui certe sinistro litore radendus erat, si novam Nicopolim intelligimus in hoc itinere.

ad *Aciloum* sunt XXXIIII. In universum ea sunt M. P. LXVIIII, ut sane videatur in Antonino pro priore X reponendum L.

Haec quidem sic ad oculum patent, nihil ut reponi omnino possit. Ergo sic transigenda res est, ut Augustus tres simul Nicopoles, totidem victoriae monumenta condiderit. Harum ultimam ad Alexandriam erexit, de qua supra narravimus. At duae priores duplici hinc atque inde in littore sinus Ambracii, tamquam duo tropaea victoriae, extiterunt. Illa, quam in loco castrorum posuit, a fundamentis exstructa fuit intra sinum Ambracium prope fauces, et Graecis colonis ac juribus. Altera (quae extra sinum erat et dextro littore) non a fundamentis erecta fuit, sed quum esset ibi oppidum Actium, deducta civium Romanorum Colonia, et ampliata fuit, et novum nomen impositum, ut deinceps *Actia Nicopolis* diceretur, aut si integrum nomen mavis, *Colonia Augusta Actia Nicopolis.* Quoties ergo *Actiam Nicopolim* audis (ut in Inscript. V. Aur. *Theodoti* quae huic Epistolae (a) occasionem praebuit, et Anton. Tab. etc.) non illa celebrior in castris condita, sed haec prope templum incelebrior in mentem subeat, quae et Nicopolis colonia Tacito appellatur.

Simul etiam vides, ut difficultates omnes initio propositae statim evanescunt. De Tacito jam modo innuimus, ac plenius infra dicetur. At etiam supra quaerebatur, utrum τὸ *Actia* additamentum esset διακριτικὸν, an ἐπωνυμία. Utrumque fuit; sed ita ut διακριτικὸν esset respectu alterius celebrioris in adverso littore Nicopoleos,

---

(a) » Intelligit hic Mazochius opus suum *De Dedicatione sub ascia*, quod » in modum *Epistolae ad Amplissimum Virum Bernardum Tanuccium* etc. » missum Neapoli edidit anno MDCCXXXVIIII. in 8.° cui Schedium hoc adtexere » in animo habuit, ut ipsemet testatur pag. 114. not. 141. Sed cum haec scriptio » *De Actia Nicopoli* commentarius *bene longus* evasisset, quamquam prodire » gestiret, tamen auctor ad umbilicum nondum perductam, ut nonum premeretur in annum, in forulis adhuc desidere posse censuit. Vide l. c. p. 229. »

quae propter celebritatem non indigebat discrimine, sed sua se ἐξοχῇ prodebat. At etiam τὸ *Actia* cognomen non fuit illi, uti fiebat in Coloniae deductione (1), impositum. Cur rarior, inquis, Actiae Nicopoleos mentio est? Primum quia rarius ejus coloniae mentio occurrit, deinde quia solebant vetus *Actii* nomen usurpare (quod et ceteris coloniis usuvenit, ut antiquum nomen saepius usurparetur) praesertim Graeci, quia a Latinis imposita nomina aut ignorabant, aut parvi faciebant prae Graecis antiquioribus.

Haec ita, uti dixi, rectissime constituta etsi nemo ambiget, tamen singula sive monumentorum sive veterum Scriptorum loca de Colonia Actia percurramus, expendamusque.

Ac primum omnium occurrit nummus Augusti, in cujus anteriore parte caput Augusti cum epigraphe CAESAR IMP. aut sic CAESAR DIVI. F. IMP. V. COS. IV (a); in opposita vero Apollo Citharoedus cum longa veste et hoc titulo ACT. Id quidem plures (2) ad Apollinem referunt, qui in nummo appellatur *Actius* aut *Actiacus*. Harduinus vero more suo tamquam sint singulares litterae, interpretatur *Apollini Caesaris Tutatori*. Ego potius crediderim, hos nummos in Colonia Actia Nicopoli cusos, idque sibi velle τὸ ACT. in iis nummis (b).

---

(1) Memini in de *Amphith. Camp.* innuisse me (*nempe Cap. I. pag. 4. 2. Edit.*) deductis Coloniis nomina sic ferme imposita, ut libertis. Adde ei nonnumquam ut in adoptionibus, in quibus sic adoptantis gentilitium nomen assumebatur, ut tamen adoptati alterum gentilitium inclinaretur more possessivorum nominum: ut ergo qui antea erat Octavius, postea fuit C. Iulius Caesar Octavianus, sic quod antea oppidum *Actium* dicebatur, ut evasit Colonia, dicta fuit *Colonia Augusta Actia Nicopolis.*

(a) » In Schedula ad oram paginae agglutinata haec adlevit Mazochius » » *Verum cum* IMP. V. COS. IV. *non potest componi Actiae Nicop. deductio* »

(2) Tam certum id visum Vaillantio, ut inde hoc stabiliverit, ut ubicumque Apollo habitu muliebri (sic enim vestem illam talarem appellat) in nummis appareat, is continuo pro Apolline Actiaco sit habendus. Vide eum in argenteis Hadriani Nummis pag. 146. Id quod mihi probari nequit.

(b) » In eâdem Schedula, de quo supra, subdit Mazochius » » *Videndum an sit potius titulus Caesaris, ut dictus sit ACTIACVS* ».

Sequitur deinde Inscriptio aevi Tiberiani, quae huc usque in eo, quod peculiare atque eximium habet, non intellecta, ex iam dictis facile suppletur atque illustratur. Ea est apud Grut. 1026. 3. Vicentiae. L. CORNELIO SEVERO * ROM. (i. e. tribu Romelia) VET * PRAEF. LEG. III. AVG. VI. VIR * EQ. ROM. TVRM. (i. e. Seviro Equitum Romanorum Turmae tertiae) III..... * AB. DIVO. AVG. POST PREL * ACT. (i. e. post PREliam ACTiacum) HOSTIB. VBIQ. DEVICTIS * IN. COLON. .... CT.....* INT. ORD. DECVR. (inter ordinem Decurionum) ADLECTO * *Grutero Ursinus.* Penultimi versus lacuna sic est supplenda IN. COLON. AVG. ACT. NIC. Interim vides, quanti Augustus hanc Coloniam fecerit, ut Praefectum Legionis tertiae Augustae unum ex Decurionibus ei Coloniae daret. Initio cum deducerentur coloniae, Decuriones Roma mittebantur: at deinceps in colonia ipsa alii in demortuorum locum adlegebantur. Sunt aliae duae apud Gruterum Inscriptiones Nicopolitarum, sed quae ad Dacicam Nicopolim pertineant; eae sunt pag. 472. 4. et pag. 527. 7. At illam, quae est pag. 18. 5. si quis forte ad Actium referat, non prohibebo. Incipit P. AELIVS P. F. SER. (i. e. tribu Sergia) APOLLIN. NICOP. etc. Non quod legi iubeam *Apollinari Nicopoli*, quasi ex vicino templo etiam *Apollinaris* appellata fuerit, sed potius fortasse (etsi est leviusculum) quod ille miles P. Aelius, cognomen *Apollinaris* ex vicino templo sortitus fuerit. Scimus etiam gentilitia nomina ab urbibus derivata in usu fuisse, ut Capuae *Campanios*, Atellae *Atellanios* et sexcenta talia. Ultima haec Inscriptio posita est C. BELLICIO. TORQ. M. ACIL...... COS. h. e. ann. Xpi. 143. sub Antonini Pii principatu.

Sed ante hanc Inscriptionem videamus quid Plinius de Actio scripserit lib. IV. 1. *Acarnania*, inquit, *quae antea Curetis vocabatur: oppida Heraclia, Echinus, et in ore ipso Colonia Augusti Actium, cum templo Apollinis nobilis, ac civitate libera Nicopolitana.* Mul-

tum Plinio debemus, sine quo de deducta Actium Colonia ne fando quidem quidquam audissemus. Itaque quae (1) indiligenter in ea descriptione posuit, facile condonamus prae hoc tanto commodo, quo nos affecit, in hac describenda Colonia. Sane dolendum est in ultimis Plinii editionibus Variorum, et Harduini paucas afferri variantias Codicum; nam gestiret animus pro *Augusti* reponere *Augusta*, et pro Actium *Actia Nic.* si quod indicium a libris reperirem. Ceterum sicuti Cl. Muratorio mihique amicissimo licuit ex ATTIA NICOP. efficere illud *Attiani Cop.*, potuit aliquid monstri in veteribus libris reperiri, ex quo, quid Plinius scripserit, resciremus. At vel sic tamen lectio bene habet. Quas Colonias Augustus constituerat, eae et cognomine *Augustae*, et Coloniae Augusti dicebantur. Exempla sunt obvia. Deinde si *Actium* scripsit Plinius, nomen antiquum more eruditorum praetulit; quod et Frontinus, de quo jam dicendum, fecit.

Heic enim Frontinum illum Auctorem libelli *De Coloniis* inserendum putavi, non quod eum Tacito antiquiorem crederem, quum revera ejus aetatem (2) incertam arbitrer: at, inquam, hunc ei locum, tamquam designator, ut assignarem, non antiquitatis rationem habui; sed quia si modo de Actio loquitur, Plinio adstipulatur, ac plura dicit. Verba scriptoris illius, quisquis is fuit, sunt

---

(1) Ut quod Nicopolitanam Civitatem in Acarnania recensuerit, quae revera ultima Epiri erat, et quod Coloniam Actium *in ore sinus* (id quod significabit *intra faucium angustias*) posuerit, quum revera Actium ad os, sed extra sinum, adsederit. Nisi vero Augustus, quum Coloniam deduxit, quam *Actiam Nicopolim* appellavit, novam prorsus urbem intra ipsas ostii angustias a fundamentis erexit; quod non puto. Nam si hoc fecisset Augustus, cur Strabo, Dio, et alii unam Nicopolim ab Augusto extructam producunt? Quanti erat laboris pro una *duas* dicere? Nunc de altera tacent, quia haec non fuerat a fundamentis excitata, sed tantum novum cum Colonia nomen adepta.

(2) Ex crebra Hadriani mentione, statuunt viri docti, eum sub hoc principe vixisse. At hujus generis libellis quotidie ut aliquid novi inciderat, addebatur. Contra quum videam non alias, quam Italicas Colonias recenseri; potest inde conjectura capi pro ejus libelli, prout primo scriptus fuit, antiquitate.

talia: *Catium, oppidum lege Graecana* (1) *est munitum. Ager ejus veteranis est assignatus. Iter populo non debetur.* Frustra sane *Catium* istud in Geographis, et quantum est hujus generis monumentorum quaeres, nisi aut (2) *Catina* scribas; aut tantum transposita littera *Actium*. Utrique illud *lege Graecana* (Graecitatis causa scilicet) potest convenire. At utrique contra hoc adversatur, quod toto-eo libello nullae extra Italiam et Togatam Galliam coloniae recensentur. Itaque quid de *Catio* isto Frontini statuam, ignoro; nisi forte celebritas Actiacae victoriae fecit, ut hic Auctor inter Italicas colonias etiam transmarinae huic Actiae locum fecerit. Illud: *Iter populo non debetur*, nihil habet cum Consularibus viis commune; quando et in Benevento idem istud in eo libello legitur, et alibi saepiuscule.

Sed et in iis, quae Frontino huic adnectuntur, ex libro Balbi sic reperio: *Ager Atteiati* (quam vocem ad Coloniam Actiam sive, ut in Ravennate Inscriptione scribitur, *Attiam* haud inepte referre possis, in Harprocratione est Ἀκτεία cum diphthongo EI, ut infra notabitur) *oppidum. Iter populo non debetur. Nam agri eorum tribus limitibus sunt assignati* etc. *Eorùm cursus est per rationem arearum, riparum, canabula, vel novercas, et variis locis terminos Augusteos.*

Venio ad Tacitum, cui haud paulo plus, quam Plinio debeo; qui nisi me in summas difficultates conjecisset, nunquam hanc tertiam Nicopolim ex aeterna oblivione eruissem. Bis hic Historicus Nicopoleos meminit, sed ita ut una ab altera sit diversissima. Nam in Annal. II. 53.

(1) Frustra Goesius illud *Graecana* in *Gracchana* mutat. *Graecanus* quidem non alibi legitur; sed *Graecanicus* tamen a *Graecanus* est. De re ipsa vide hunc Auctorem in *Neapolis: Ager ejus......a Graecis in jugeribus est assignatus.*

(2) Catina inter quinque Siciliae colonias erat. Cicero IV. in Verr. 23. *Oppidum* appellaverat, sed *locuples, honestum, copiosum.*

de celebriore Nicopoli in sinistriore Ambracio littore haec habet: *Sequens annus Tiberium tertio, Germanicum iterum Consules habuit. Sed eum honorem Germanicus iniit apud urbem Achaiae Nicopolim.* Heic, inquam, Nicopolis sine alio additamento satis ipsa sua se nobilitate prodit; ut omittam, quod quae addit de Augusti manubiis, et castris Antonii, ad illam in Epirotico littore Nicopolim nos reiiciunt. Nam quod addit *urbem Achaiae*, id ut omittam quod torsit (1) interpretes, non satis ab Actia Nicopoli distinguebat, quae etiam Achaiae Praesidi suberat, ut mox videbitur: nisi quod haec non sine addito aut *Actiae* aut *Coloniae* dici consueverat; unde sequebatur, ut quae sine additamento diceretur, ea nonnisi Epirotica esse posset.

At idem Tacitus in extremo Annalium V. de Poppaeo Sabino narrat, qui tum simul Macedoniam et Achaiam curabat, qui, audito, Drusum Germanici filium *lapsum custodia pergere ad paternos exercitus, Aegyptum aut Syriam invasurum* (re vera is non Drusus erat, sed alius Drusum ementitus), *quo vera seu falsa anteiret, Thoronaeum Thermaeumque sinum praefestinans, mox Euboeam Aegaei maris insulam, et Piraeum Atticae orae, dein Corinthiense littus, angustiasque isthmi evadit: marique alio Nicopolim Romanam Coloniam ingressus, ibi demum cognoscit, sollertius interrogatum* (illum juvenem scilicet, qui Drusi personam induerat) *quinam foret, dixisse M. Silano* (se) *genitum: et multis sectatorum dilapsis, ascendisse navem, tamquam Italiam peteret.* Sane post ea quae copiosius mihi supra fuere de Actia Nicopoli disputata, nemo jam dubitabit, quin haec *Nicopolis Romana colonia*, eadem sit ac Plinii *colonia Augusti Actium*, aliter *Actia Nicopolis* dicta; nam certe illa altera nunquam colonia fuit. Tamen quia huic Taciti loco

(1) Vide hic *Variorum* notas.

plurimum debeo, ut qui sua me difficultate in ea quae supra sunt constituta, e tenebris cruenda compulerit; aequum est, ut par pari referam, et huic loco ac toti hujus Praesidis itineri lucis haud parum affundam, ac vicissim auctoribus itinerum et argumento meo. Non enim est dubitandum, quin hoc Praesidis iter terrestre fuerit, non maritimum, sed idem tamen per maritima loca, non per mediterranea. Si a me quaeras, quid causae fuerit, cur littora praetervehi cursu maluerit, quam mediterraneo per mediam Thessaliam ductu servato longe plurimum in tanta festinatione viae compendifacere, facilis erit responsio, debuisse Sabinum singulos secundum littorum seriem portus invisere scitaturum, si quo appulisset, aut sicunde solvisset ille Pseudodrusus. En quo iter illud per loca maritima ab Antonino et Tabularum Auctore descriptum, quod iter non per clarissimas maritimas urbes ducebatur, ut ibi diximus, sed per opportunissimos portus, quo trajectus, aut unde conscensio usitata esset. Est autem hoc Sabini iter a Tacito descriptum illud idem (quamvis retrogradum), quod ab Antonino, et accuratius in Peutingeriana Tabula descriptum. In tabula centrum omnium ejus continentis itinerum Actia Nicopolis est, desinitque illud littorale dexterius iter in Macedoniam: in Tacito Praeses in Macedonia, cui praeerat, viam per littora ingreditur, deinde littora quaeque eodem, quo in Tabula, sed retrogrado ordine praetervectus, tandem *Coloniam Nicopolim* ingreditur. Haec autem quis dubitat, quin eadem sit ac Antonini et Tabulae *Actia Nicopolis?* Si sine controversia eadem; novum hinc argumentum conficitur, quo appareat *Actiam Nicopolim* non esse Graecam illam liberam civitatem Nicopolitanam sinistriori littori ab Augusto impositam (quia *Romana colonia* Tacito dicitur, qualis illa Epirotica nunquam fuit), sed esse *Actium* Augusti coloniam. Quae sunt eousque certa, ut vix quidquam exploratius possit existere. Interim ex Taciti loco intelligis Actiam Nicopolim non minus, quam alteram, Achaiae Praesidi subjectam fuisse.

*

Post Tacitum possit fortasse et Plutarcho esse locus. In ejus verbis, quae supra recitavimus, multum ambiguitatis habentibus, si illud ἐν ᾧ τόπῳ νῦν Νικόπολις ἵδρυται, de Antonii castris sunt intelligenda (nam certe Caesariana castra suum habebant διακριτικὸν, nomen scilicet *Torynes*, quod nomen aevo Plutarchi adhuc manebat, ut non necesse fuerit aliud διακριτικὸν cumulare ἐν ᾧ τόπῳ νῦν Νικόπολις ἵδρυται), si inquam de Antonianis castris intelligas (quae initio in dexteriore ripa περὶ Ἄκτιον fuerunt), tum vero illa Nicopolis in loco castrorum posita, erit *Actia Nicopolis.* Sed de eo amplius cogitandum.

Post Tacitum nihil antiquius est Ravennate monumento, quod huic scriptioni ansam praebuit. Quamquam illud initio iam protulimus, heic iterum maximo cum lectoris commodo adtexatur.

D . M .
M . AVR . THEO
DOT . FIL . Q . V . AN
IIII . M . AVR . THEO
DOT . Ñ . ATTIA . Ñ
COP . ET . POPPEI
SECVNDIN . MAT
PARENT . FIL . POS .

Hoc est : *Dis Manibus M. Aurelij Theodoti filii, qui vixit an. quatuor. M. Aurelius Theodotus Natione Attia* (pro Actia) *Nicopoli et Poppea Secundina Mater parentes filio posuerunt.* Sane quod uxorem Theodoti hujus attinet, en heic POPPEIA (more ceterorum nominum in IVS exeuntium) scribitur. At in Taciti loco mox vero recitato *Poppaeus* ille *Sabinus* per AE legitur, eademque scriptura servatur in nummis *Sabinae Poppaeae* uxoris Neronis, et in tribus cognominibus feminis apud Gruter. 659. 1, 885. 10, 783. 5.

Sequitur Mamertinus, qui in Panegyrico, quem Iuliano τῷ παραβάτῃ dixit, tum Nicopoleos Epiroticae meminit, tum etiam Actii (a) . . . .
. . . .

Fuit et Arcadius quidam (b) incerti temporis Grammaticus, qui in sua Ὀρθογραφίᾳ *Actiae* nostrae meminit. Sed hujus verba non intellecta in Stephano infra expendemus.

Post Mamertinum et Arcadium nihil antiquius itinerariis habeo, tum illo quod Antonino inscribitur, tum Peutingeriana tabula, quam etiam Theodosianam appellant, quia sub Theodosio factam putant. De utroque hoc monumento plura initio hujus capitis dicta fuerunt (1). Nisi

---

(a) » Et hic Mazochius non exiguum chartae spatium purum reliquit, quibusnam ex causis quis dixerit? Placet vero tantum heic adtexere Mamertini » locum, quem antea pag. 100 not. 1 Mazochius indicaverat: *Urbs Nicopolis*, » *quam Divus Augustus in monumentum Actiacae victoriae trophei instar* » *extruxerat, in ruinas lachrymabiles prope tota conciderat: laceras nobilium* » *domus, sine tectis fora, jamdudum aquarum ductibus pessumdatis, plena* » *cuncta squalloris et pulveris. Certamen ludicrum, lustris omnibus solitum* » *frequentari, intermiserat temporis moesti deforme justitium* etc.

(b) » Hic est ille Arcadius Antiochenus, Grammaticus non incelebris, de » quo meminit Suidas, cujusque operum specimina praeter ὀρθογραφίας dedit » Cl. Villoisonus in *Appendice* post *Epist. Vinar.* p. 118. et seqq. Inter haec » recensetur Arcadii opusculum περὶ τόνων *De Accentibus* ex Herodiani Grammatici *Prosodia Catholica* excerptum, quod publici juris fecit anno 1819 » Lipsiae Edm. Henr. Backerius ex duobus Codd. Bibl. Reg. Parisiens. ».

(1) Ne nihil heic tamen de Antonino dicam, aliquid ex adnotatorum penu adscribam. Simlerus sic ad Antoninum: ACTIA NICOPOLI) *vel Actianopoli* (dicat, oro, ubi *Actianopolim* legerit) *est Actium Epiri* (non, sed Acarnaniae) *oppidum, propter victoriam Augusti nominatum Nicopolis*. De Nicopoli Epirotica putavit se hoc dicere Simlerus; sed illa antea non fuit *Actium*. Sed verum est interim (ac miror in veri semitam post tot falsa vestigia casu incurrisse Simlerum) Actium propter victoriam Augusti nominatum fuisse Nicopolim, et quidem pleno nomine Actiam Nicopolim.

» Post haec scripsit Mazochius: *Hier. Surita. Gli Annotatori di Carmi-* » *gnano*; et rursus inferius » *Alius Carmignani*.

» Si excipias illud *Hier. Surita*, cujus extant notae ad *Itineraria Antiqua* » in horum Editione a Petro Vesselingio ann. 1754 curata, nobis aeque ac ceteris » quibuscumque divinatu fortasse arduum erit, quid sibi velint Mazochiana illa

forte illud heic addere visum fuerit, quod in ejusdem Antonini itinerario maritimo Nicopoleos est mentio, sed sine additamento *Actiae*, ut liberum sit id ad Epiroticam referre. Sed ibi mox ab initio scribitur: *A Naupacto oxeas provinciae Epiri veteris stad. CCCC. Ab oxeis Nicopolim provinc. suprascr. stad. DCC. A Nicopoli Buthrotum prov. suprascr. stad. D.*

Sequuntur nunc Stephani τὰ ἐθνικὰ, qui scriptor aevi Iustinianei creditur, sed revera videtur fuisse antiquior, quia ejus breviator Hermolaus epitomam illam ineptissimam Iustiniano obtulit, quam nunc tantum exsuccam habemus. Ergo Ethnicographus ille de *Actia Nicopoli* sic scripserat, ut eam Ἀκτίαν *Actiam* appellaret (sine altero nomine Νικοπολέως), sequutus in eo Arcadii Ὀρθογραφίαν. At Stephani excerptor (sive potius *discerptor*) Hermolaus, quum nec Arcadium nec Stephanum intellexisset, mera nobis exhibuit *discerpti membra poetae.* Quo clariore ordine progrediar, incipiam ab Arcadio, cujus quaedam inseruit Stephanus in verbo Ἀκτία. Nimirum scripserat Arcadius in sua Orthographia, vocem Ἀκτία duo significare, tum urbem, tum festum ejus nominis. Ἀρκάδιος δ᾽ ἐν ὀρθογραφία φησὶν, Ἀκτία, καὶ ἡ πόλις, καὶ ἡ ἑορτή. *Arcadius in Orthographia inquit, Actia* (penacutum) *et urbs et festum est.* Et sane Grammaticus in urbe non aberravit, quippe quae eo jam aevo Latinis non *Actium* (quod Graecis est Ἄκτιον προπαροξύτονον), sed *Actia Nicopolis* aut tantum uno nomine *Actia*, quae Graecis est Ἀκτία penacutum, sicuti ex *Aelia Capitolina*, Graeci fecerunt Αἰλίαν expuncto τὸ *Capitolina*; vide Ste-

» *Gli Annotatori di Carmignano* etc. Si tamen liceat in hac re aenigmatica
» Oedipi conjectoris officio fungi, nobis exoritur suspicio, hic verbis Mazo-
» chium indicare voluisse, consulendas a se esse adnotationes eruditorum in
» optimis editionibus vel Itinerarii Antoniniani, vel aliorum Geographorum
» veterum et auctorum, quarum copia erat in selectissima *Severi Carmignani*
» Patricii Neapolitani Bibliotheca, cujus usus litteratis nostratibus tunc temporis
» patebat. De ea frequens mentio fit a Martorellio in *De Reg. Thec. Calam.*
» pluribus in locis et praesertim pag. 544. »

phanum in Αἴλια. In urbe, uti dixi, Arcadius non erravit, idque secutus est etiam Stephanus, uti mox ostendemus: at in festo videtur errasse, quod quamvis eisdem litteris scribebatur, at erat longe aliud, tum quia erat προπαροξύτονον, tum etiam quia neutrum plurale, quum contra urbs femininum singulare esset. In hoc, inquam, erravit Arcadius, sed errore ferendo, tum quia accentuum canones non satis tum fixi erant, tum etiam, quia is error ei cum multis communis fuit, praesertim cum Harpocratione (1) et aliis. Contra

---

(1) In Lexico Harpocrationis sic legebatur: Ἄκτια, Ὑπερίδης ἐν τῷ περὶ Πολύευκτον στρατηγεῖν. Ἀκτία ἀγὼν παλαιός ἐν, ὡς δῆλον ποιεῖ Καλλίμαχος ἐν τῷ περὶ ἀγώνων. (« In ora pag. Mazochius scripsit « *videatur Vales. ad Harpocrat.* ») Ergo prius Ἄκτια, alterum Ἀκτία olim legebatur. At *Ex* Ἄκτια *et* Ἀκτία (inquit Maussacus) *unum tantum confecimus* Ἀκτία. Male. Nam diversa scriptura eum admonere debuisset, illud, de quo Hyperides, aliud esse ab eo, de quo Callimachus Agonistici Auctor. Ceterum Actiacum certamen sic etiam Ἀκτία παροξυτόνως scribitur in Porti Suida, totidem verbis ex Harpocrationis utique scriptis (nam Suidam constat multorum Grammaticorum esse συναγωγὴν) nisi quod Kusterus prave in Suida Ἄκτια proparoxytonum fecit, quod ante depravaverat Maussacus in Harpocratione: quum debuisset uterque fontem erroris Grammaticorum detegere, ac detectum in adnotationibus aperire, textu interim non interpolato. Sed utrobique restituendum est Ἀκτία penacutum auctore, uti supra dictum est, Arcadio in Ortographicis. Nec dubito quin Auctor ille Agonistici Callimachus, quem citat Harpocration, etiam παροξυτόνως scripserit Ἀκτία.

Huc etiam referri potest, quod etiam promontorium (quod olim neutro genere singulari Ἄκτιον scribebatur) quarto Saeculo Ἀκτία videtur scriptum. Certe Athanasius (seu quisquis est Auctor Synopseos Sacrae Scripturae) de sexta editione sic habet: Ἕκτη ἑρμηνεία ἐστὶν ἡ ἐν πίθοις εὑρεθεῖσα καὶ αὐτὴ κεκρυμμένη ἐπὶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μαμαίας παιδὸς, ἐν Νικοπόλει τῇ πρὸς Ἀκτίαν ὑπό τινος τῶν Ὠριγένους γνωρίμων. *Sexta interpretatio est, quae item in doliis latens Nicopoli AD ACTIA sub Alexandro Mammeae filio a quodam ex Origenis discipulis inventa fuit.* De eadem Eusebius VI. 16. (« *in margine* » Vide Euseb. Edit. Anglicae) *Et quum incompertum haberet cujusnam essent auctoris* (illae interpretationes ἀδέσποτοι) *hoc solum de ipsis adnotavit* (ὡς ἄρα τὴν μὲν εὕροι ἐν τῇ πρὸς Ἀκτίῳ Νικοπόλει: at in tribus optimae notae MSS. reperit Valesius πρὸς Ἀκτίοις, etsi edidit Ἀκτίῳ, quod illud alterum Ἀκτίοις pravum judicasset) *alteram quidem a se repertam Nicopoli ad Actium, alteram vero in alio quodam loco.* Ex eadem, inquam, illa Arcadii praeceptione, qua et urbs et festum Ἀκτία scribi jusserat, hoc manavit, ut putarent, etiam promontorium Ἀκτία esse scribendum, unde πρὸς Ἀκτίοις, quod olim πρὸς Ἀκτίῳ dicebatur. Fons erroris tum Arcadio, tum Harpocrationi, et Callimacho fuit, quod viderent urbem Ἀκτία scribi. Bene id quidem, quia intelligebatur *Colonia* et *Nicopolis*. At illi hujus scripturae rationem non assecuti, eamdem scripturam

id Arcadii dictum (quod una parte recto stabat talo, altera claudicabat) ὁ ἐθνικογράφος non ausus est hiscere, imo qua parte verum erat, adoptavit ac suum fecit, uti mox videbitur. At Arcadianum scitum quia non concoquebat breviator Hermolaus; post supra scripta τοῦ ὀρθογράφου verba excepit in hunc modum: ἀλλ' ἡ μὲν ἑορτὴ βαρύνεται, τὰ Ἄκτια· ἡ δὲ πόλις λέγεται οὐδετέρως, τὸ Ἄκτιον. Quasi dicat: Quid ais, o bone Arcadi? *nam festum quidem gravatur* (in penultima) τὰ Ἄκτια: *urbs vero* (non Actia) *sed genere neutro Actium* (Ἄκτιον) *dicitur.* Quam objectionem non Stephani (1), uti credidit Berkelius, sed breviatoris Hermolai esse (2) certissimum habeo.

Nunc summa argumentationis meae eo redit. Urbs, quae in voce Ἀκτία describitur a Stephano et Arcadio, veteri Actio respondet, uti constat ex mentione ludorum, qui ibi ante praelium Actiacum agitabantur. At ea urbs non Ἄκτιον ut olim, sed Ἀκτία appellatur. Quid ita? Nimirum quia istud Ἀκτία respondet Latino nomini feminino *Actia*, quae est *Actia Nicopolis*, qua de agimus, expuncto scilicet altero nomine more Graecorum, qui ex *Aelia Capitolina* Αἰλίαν dumtaxat fecerunt.

Nunc integrum Stephani locum sic adscribam, ut etiam interdum interloquar. Ἄκτια, πόλις Ἀκαρνάνων, ἀπὸ τοῦ Ἀμβρακικοῦ κόλπου ἀρξαμένοις. *Actia urbs Acarnanum* (prima) *si ab Ambracico sinu incipias.* Bene admonet adnotator Berkelius, cum haec tum aliquot sequentia e Strabone desumpta. Sed ab eo valde dissentio in eo quod pro Ἄκτια

---

etiam ad festum transtulerunt; quod alii porro etiam ad promontorium protulerunt, utrumque Ἀκτία numero multitudinis scribentes; quod scilicet existimarent (quippe Graeculi Romanam Coloniarum nomenclaturam non callebant) etiam urbem Ἀκτία plurale esse; quum certe hoc singulare esset femininum. Verum de his satis.

(1) Non esse a Stephano illam objectionem, luce clarius est. Nam qui potuit ἐθνικογράφος hoc objicere, qui hujus capitis initio non Ἄκτιον, sed Ἀκτία cum Arcadio scripsit? sicque παροξυτόνως scribendum est pro eo, quod Ἄκτια προπαροξυτόνως in eo legitur.

(2) Breviatoris esse ἀντίθεσιν istam, in mox dicendis ostenditur.

reponit Ἄκτιον (1). Equidem potius accentum corrigendum puto, ut sit Ἀκτία (2) penacutum. Ἐν ταύτῃ Ἀπόλλωνος γυμνικὸς ἀγὼν, καὶ ἱππικὸς καὶ πλοίων ἅμιλλα διὰ τριετηρίδος ἦν. *In ea tertio quoque anno certamen gymnicum , et equestre et navale erat.* Labitur heic (3) quoque Berkelius, ut alibi dixi. Verum hoc maxime notandum , quod dum apud hanc urbem veteres ante Augustum Actiacos ludos actos refert, agnoscit *Actiam* (sive *Actiam Nicopolim*) non esse aliam, quam vetus Actium. Ὁμωνύμως δὲ λέγεται καὶ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος, καὶ ἡ ἄκρα ἡ ποιοῦσα τὸ στόμα τοῦ κόλπου, καὶ ἡ πόλις, καὶ ὁ Ἀπόλλων, καὶ ὁ πολίτης. *Idem nomen gerunt et templum Apollinis, et promontorium, quod sinus fauces efficit, et oppidum, et Apollo, et oppidanus.* Pars horum, ut supra monui, in Strabone reperiuntur (4), sed diverso sensu. Ceterum Berkelius, qui initio illud Ἀκτία in Ἄκτιον mutari jubet, viderit quo pacto haec expediat. Nam ut templum, promontorium et urbs, tria haec omnia olim ὁμωνύμως dicta sunt Ἄκτιον: at nec Apollo erat Ἄκτιον, et oppidanus multo minus. Nunc si retineatur initio nomen urbis hujus Ἀκτία (uti certe scripsit Stephanus) tum reperies quinque illa ὁμωνύμως efferri. Quo id pacto? quia Ἀκτία est adjectivum feminini generis, quod varie inclinatur

---

(1) Nam Stephanus, qui Arcadii scripturam secutum se innuit, non debuit Ἄκτιον, sed AKTIA scribere.

(2) Potius, inquam, si quid corrigere satagimus, penacutum id est scribendum, ut sit Ἀκτία; quia sic scribi jussit Arcadius, et quia sic analogia requirit, quoties respondet primae Latinorum declinationi. Itaque Latinum *Actia* (sup. *Nicopolis*) non potest aliter Graece scribi, quam παροξυτόνως.

(3) Labitur, dum Stephanum lapsum putat, ut cui non conveniat cum ceteris certamen illud quinquennale statuentibus. At aliud est triennale Stephani, aliud quinquennale ceterorum. Illud ad Actium (quae postea Actia fuit) agebatur; hoc Nicopoli in Epiro.

(4) Strabo Lib. X. p. 451. Ἀπὸ γὰρ τοῦ στόματος ἀρξαμένοις, καὶ τοῦ Ἀμβρακικοῦ κόλπου, πρῶτον ἐστὶν Ἀκαρνάνων χωρίον τὸ Ἄκτιον· ὁμωνύμως δὲ λέγεται τό τε ἱερὸν τοῦ Ἀκτίου Ἀπόλλωνος, καὶ ἡ ἄκρα ἡ ποιοῦσα τὸ στόμα τοῦ κόλπου. *Si a faucibus initium sumas et sinu Ambracio, primum Acarnaniae oppidum est Actium. Idem autem nomen gerunt Apollinis Actii templum, et promontorium quod sinus os conficit.*

pro ratione τοῦ ὑποκειμένου. Ergo ἱερὸν erit Ἄκτιον, ἄκρα vero Ἀκτία (at Latinis *Actium*, quia refertur ad Promontorium) πόλις deinde Ἀκτία, ut et Latinis *Actia*, tum Apollo Ἄκτιος et *Actius*, postremo civis Ἄκτιος et *Actius* recte dicetur. Λέγεται καὶ Ἀκταῖος Ἀπόλλων, καὶ Ἀκτιακός. *Dicitur et Actaeus Apollo, et Actiacus.* Verum Actaeus Ἀκταῖος est ἐθνικὸν terrae Atticae: repone Ἀκτιαῖος *Actiacus.* Nam a feminino Ἀκτία nullo modo fieri potest Ἀκταῖος (sicuti nec ab antiquo oppidi nomine Ἄκτιον); at Ἀκτιαῖος eadem inde analogia formatum, qua a Καπύη Καπυαῖος, et sexcenta in eundem modum in Stephano a femininis formata: quamquam si Ἀκταῖος heic scripsit Stephanus, videtur illud formatum fuisse non ab Ἀκτία, sed (1) ab Ἀκτή. Λέγεται καὶ Ἀκταιῶτις θηλυκόν. *Dicitur et femininum Actaeotis.* In edit. mea Basil. est Ἀκτιῶτος, sed rectum erat Ἀκτιῶτις. Deinde subtexit verba Arcadii superius a me adscripta: Ἀρκάδιος δ' ἐν τῇ ὀρθογραφίᾳ φησίν, Ἀκτία καὶ ἡ πόλις καὶ ἡ ἑορτή. *Ad haec Arcadius in orthographia dicit: Actia et urbs et celebritas dicitur.* De urbe jam notarat Stephanus, eam *Actiam* dici feminino genere: nunc Arcadii auctoritatem eo proferi, ut ostendat etiam festum Ἀκτίαν dici; nam sive ἑορτή sive πανήγυρις subaudiatur, semper illud Ἀκτία rectum erit. Nunc si quae sequuntur post verba Arcadii, ea Stephani sint tamquam Arcadium refellentis, quo pacto sibi constaret Stephanus? At ea verba sunt non Stephani,

---

(1) Nam sicut Ἀκτὴ Attica dicebatur, sic et in Acarnaniae ora Ἀκτὴ quoque fuit. Testis Stephanus in Ἀκτή; ubi ait Ἔστι καὶ ἑτέρα Ἀκτὴ Ἀκαρνανίας etc. *Est quoque alia Acte Acarnaniae.* Hujus meminit (praeter Stephanum et citatum ibi a Stephano Demagetum, sive, uti malunt, Damaratum) et Scylax Caryandensis, cui recensetur in Acarnania καὶ λιμὴν Ἀκτὴ *portus Acta.* Ab hoc certe Ἀκτὴ venit ἀναλογικῶς illud Ἀκταῖος, si e Stephani manu fuit.

Verum quidquid hujus fuerit, de Attica Strabo dixit lib. IX. Καὶ Ἀκτήν φασι λεχθῆναι τὸ παλαιὸν καὶ Ἀκτικήν, τὴν νῦν Ἀττικήν. *Quae nunc Attica dicitur, ea olim Acte aut Actica dicebatur.* Quam mutationem διὰ τὴν εὐφωνίαν accidisse, dicit heic Stephanus. Quorsum haec? Nimirum ut intelligatur, non prorsus temere, Auctorem Inscriptionis initio positae ATTIA (pro ACTIA) NICOPOLI posuisse.

ut supra innuimus, sed Graeculi Hermolai, qui hunc ἐθνικογράφον a se mutilatum, super haec etiam sexcentis locis suis farcitionibus adulteravit. Nam quia aetate Hermolai nulla jamdiu extaret *Colonia Actia*, et *Actium* tantum oppidum (ut et *Actia* certamina) ex antiquis scriptoribus innotesceret; hinc Hermolaus visus sibi est in ea correctione triumphare, quum exciperet: Ἀλλ' ἡ μὲν ἑορτὴ βαρύνεται, τὰ Ἄκτια. ἡ δὲ πόλις λέγεται οὐδετέρως, τὸ Ἄκτιον. *Atqui celebritas quidem gravatur in penultima, ut sit* τὰ Ἄκτια: *urbs vero neutro genere usurpatur*, τὸ Ἄκτιον. Quae Hermolai παρόρθωσις mirum quantum Stephani textum turbavit, cui nec caput, nec pedes constarent. Sed bene est, quod detecto interpolatore, Stephanus est extra culpam. Ego certe credo me non inutilem operam huic ἐθνικογράφῳ navasse, simul Actiam Nicopolim in meliore lumine collocasse. . . . .

. . . .

. . . .

» Sequuntur loca Graecorum Scriptorum, in quibus » Νικόπολις πρὸς Ἀκτίῳ, ἐπὶ Ἀκτίου, περὶ Ἄκτιον, ἐν Ἀκτίῳ » dicitur, ex quibus aliqua certe loca ad Actiam Nico» polim pertinebunt (1) ».

---

(1) » Quae ideo virgulis inclusimus ut pateret mancum nobis videri locum, » nulla enim adest Auctorum Graecorum περιοχὴ, qua varia illa Nicopolim » Actiam designandi ratio demonstretur; nisi conjectare libeat, supervacaneum » duxisse Mazochium huc transferre, quae antea aliam ob causam retule» rat. Cui conjecturae ansam praebet schedula inter has ultimas paginas reper» ta, quae non aliud nisi quorumdam Auctorum Graecorum, nempe Hesychii » Illustris, Thucydidis, et Iosephi loca recenset ex notis Scaligeri ad Chroni» con Eusebianum deprompta. Quamquam in ora ipsius Schedulae scriptum sit » *Ad De ceteris urbis ornamentis*, ad Cap. VI. scilicet hujus Schedii, nos ne » diligentiae fideique nostrae in edendis posthomis Mazochii scriptis deesse vi» deamur, hic locum Hesychii transcribimus. » Ναυτικῷ ἐν στόλῳ ἐπὶ ναυσὶ συνέβαλεν μετὰ Καίσαρος ἐν πολέμῳ ἐν αὐτῷ τῷ ἀκρωτηρίῳ τῷ καλουμένῳ Ἀκτίῳ· καὶ νικήσαντος Καίσαρος τὸν Ἀντώνιον καὶ τὴν Κλεοπάτραν, ἐκεῖθεν πόλις ἐν τῷ Ἀκτίῳ κληθεῖσα Νικόπολις, διὰ τὸ ἐκεῖσε ἡττηθῆναι Ἀντώνιον. ὅτις καὶ χρηματίζει ἄρτι εἰς στρατηγίδα καὶ παρὰ τοῦ τὰ ῥωμαίων σκῆπτρα διέποντος, προβάλλεται στρατηγὸς, καὶ ἔστιν ὄγδοον θέμα ὑπὸ τὴν Εὐρώπην.

*

Venio jam ad Iornandem aevi Iustinianei scriptorem. Is in libro de *Regnorum successione* cap 80. haec posuit : *Sub hujus* (Alexandri Severi) *item imperio in Nicopoli Actiaca, idest Epiro, editio quae sexta dicitur divinarum Scripturarum, in dolio reperta est.* Sed hunc locum multis de causis (a) malo ad Nicopolim Epiroticam referre.

Postremo quoniam Ravennatis inscriptionis gratia haec omnis commentatio suscepta fuit; injuste fecerim, si non Geographi ejus, quem Ravennatem Anonymum appellant, locum heic inseram h. e. totum caput 8. libri IV. *Item juxta secundum Mysiam ponuntur patriae duae, quae dicuntur Epiros, Pelagonia. Quas patrias* (b) *plures*

(a) « Ultimam hanc periodum Mazochius in Schedula paginae agglutinata » denuo scripsit, post, linea subducta, causas de quibus in textu mentionem » injecit, recenset. Ea sic est.

1. *Quia colonia Aug.* illud Actia *aut nominis loco gerebat, cui subnectebatur tamquam cognomen* Nicopolis, *sic in Inscript., sic in Itiner. At Iornandes* Actiacam *uti cognomen adjunxit.* 2. *Non Actiam dixit, sed Actiacam. At nomina urbium non ad libidinem mutantur.* 3. *Ex Eusebio, et Athanasio patet Iornandem hoc latine voluisse, quod Graeci* ἐν Νικοπόλει πρὸς Ἀκτίῳ (*sic enim Euseb...*) *At* Νικόπολις πρὸς Ἀκτίῳ *est illa Epirotica, uti patet ex Pausania et aliis. Verum quid sit quod in Eusebii MS. et Synopsi legitur* πρὸς τοῖς Ἀκτίοις, *ad Stephani locum diximus.*

(b) « In ima hujus paginae ora, quam paene vacuam, parte plusquam di» midia, in Autographo Mazochius reliquit, scriptum est « *Patriae gentium* » » φράσις quae in Psalm. XCV. v. 7. legitur « *afferte Domino* PATRIAE *gen» tium, afferte Domino gloriam et honorem: afferte Domino gloriam nomini » ejus*, quae ad verbum ex LXXvirali Graeca versione espressa sunt » ἐνέγκατε » τῷ Κυρίῳ αἱ πατριαὶ τῶν ἐθνῶν· ἐνέγκατε τῷ Κυρίῳ δόξαν καὶ τιμήν· ἐνέγκατε τῷ » Κυρίῳ δόξαν ὀνόματι αὐτοῦ. Non parum nos torsit quid illis indigitare Mazochius » voluerit, divinare, ut aliquam lectoribus conjecturam exhibere possemus. Re » accurate perpensa statim animum attendimus verbis Anonymi Geographi Ra» vennatis, quae in textu idem Mazochius protulit. Geographus ille utitur verbo » *Patria* ad indicandam *Provinciam* seu *Regionem*, ubi aliqua civitas sita » est; hocque videtur Mazochium movisse ad aliquid ex mora adnotandum de re, » quae non raro inter sequioris aevi Latinos Scriptores occurrit. Volutatis Mazochii » operibus invenimus eamdem rem attigisse, nulla Anonymi Ravennatis mentio» ne facta, in *Kalen. Neapol.* Tom. I. pag. 39. not. 7. in Act. S. Castrensis » sub die XI. Februarii. »

Sic Sancti Episcopi in carcere detenti precantur: Hoc tantum nobis conferat Divina Majestas, ut quos ab uno solo pro sui nominis gloria transferre dignatur, intra VNIVS PATRIAE terminos sua pietate concedat, ut

descripsere Philosophi ; sed ego secundum Aristarchum Graecorum Philosophum, eas nominavi ; inter quas urbes aliquantas designare volumus, id est Delphi, Evenos, Actia Nicopolis, Botaroto, Poenice. Per quam patriam transeunt plurima flumina, Calydon, Evenos, et Achyloys. Deinde ad Macedoniam transit. (a)
» Cui sane loco nihil deest, quominus de Colonia Augusti
» sit intelligendus. Nam pleno nomine *Actia Nicopolis*
» appellata, deinde Actia uti nomen praeponitur, cui
» suum cognomen Nicopolis subnectitur. Tamen uti di-
» cam quod sentio, Anonymus quidem unde id hausit
» (nam ejus tempore nulla amplius erat), in iis quidem
» libris eo nomine Col. Aug. Actia designabatur. At noster
» Anonymus, dum voluit eam, quae suo tempore urbs
» primaria erat (imo Themati octavo nomen dabat) suo
» Commentario Geographico inserere, per errorem Co-

---

nostra corpora sepeliantur. *Quibus Angelus, se exauditum iri respondit. Porro* unius patriae *nomine* una Provincia *intelligitur : sic enim tunc loquebantur hausta a LXX. Senioribus locutione : apud quos tamen* πατρία familiam *significat. Augustinus* in 1.° *contra Epist. Parmen.* 7. Multae interiacent patriae gentium. *Arnobius Iunior. Scriptor* V. *Saeculi ad Psalm.* 104. Non diversarum linguarum sed diversarum patriarum . . . . . sub una lingua (*latina*) diversae sunt Patriae Bruttiorum, Lucanorum, Apulorum. *Gregor. Turonens. Hist.* 4. Patrias subjugavit, i. e. *provincias.* »

» Vide plura ad hanc rem in Cangio *Gloss. Med. et infim. Latinit.* v.
» *Patria*, in quibus praeter alia Scriptorum medii aevi loca notandum illud
» Virgilii Aeneid. Lib. I. v. 545. *Quod genus hoc hominum, quaeve hunc*
» *tam barbara morem Permittit* Patria ? ubi summus Heynius hic accipi *Pa-*
» *triae* vocabulum Graeco more pro *terra* adnotat. Cui adjunges, si libet,
» aliud ejusdem Poetae l. c. v. 382. *Italiam quaero* Patriam, et ibi Lacerda. De
» vocis *Patriae* acceptione in Sacro textu vide *Lex. Graec. S. Script.* Ariae
» Montani ; ac quod ad Graecos Patres et Scriptores profanos adtinet, plura
» habet Svicerus in *Thesaur. Ecclesiast. e Patrib. Graec.*, et Schneiderus
» in *Lex. Graec.* v. πατρὶ et πατριά.

(a) » Desinit post haec Autographum hujus Schedii Mazochianum. Inter
» utramque paginam vero altera continebatur Schedula, in qua specimen lege-
» batur eorum quae ad complementum operis scribere sibi proposuerat Auctor.
» Quo vero Schedium hoc, quantum quidem in nostra potestate fuit, minus
» mutilum exhiberemus, quidquid hujus tractationis scriptum in Schedis repe-
» riebatur, textui inserendum subjungendumque e re duximus.

» loniae nomen inseruit. Uno verbo. In Anonymo eo no-
» mine Nicopolis Epirotica venit: at in iis libris, ex qui-
» bus Ravennas hausit, eo nomine Col. Aug. Actia Nico-
» polis veniebat.

» Ex quibus omnibus locis patet, Coloniam Augusti,
» quae Actium deducta fuit, plena appellatione quatuor
» nomina gessisse, quae nos Inscriptione Cornelii Severi
» restituimus. Dicebatur Colonia Augusta Actia Nicopolis.
» Ex iis nominibus (ut eos omittam, qui veteri more A-
» ctium etiam post Augustum appellarunt) duo priora
» Plinius et Capella expressit, primum et ultimum Ta-
» citus, tertium tantum Arcadius et Stephanus, duo ul-
» tima Ravennas Inscriptio, Itineraria, et illi, unde hau-
» sit Anonymus Ravennas. At ex omnibus his locis, et
» iis maxime ratiocinationibus, quas initio Capitis hujus
» proposuimus, stipes sit oportet, qui adhuc dubitet,
» quin Actia Nicopolis veteri Actio respondeat, sitque
» alterum victoriae Actiacae monumentum. Sane Augustus
» videtur imitatus Columnas Herculeas etc..............

....

....

....

....

AD INSCRIPTIONEM

L. CORNELII BALBI

QUAE EXTAT AD CURIAM (*Capuae*)

L · CORNELIO L · · · ·

BALBO · COS · PATR · · ·

D · D ·

Historia Corneliorum Balborum Majoris et Minoris.

Duo fuere Cornelii Balbi Gaditani, ac postea Romana civitate donati, quorum alter Major appellatus, patruus alterius Minoris fuit. Utriusque simul meminit Plinius Lib. V. 5. et Cic. ad Att. VIII. 9.

L. Cornelius Balbus Maior Gadibus ortus, Civitatem Romanam hac occasione est consecutus. Cum L. Gellius, Cn. Cornelius Consules legem ex Senatus sententia tulissent, uti cives Romani essent ii, quos Cn. Pompejus, magnis in Hispania rebus gestis, de Consilii sententia civitate donasset : ex ea lege Pompejus L. Cornelium Balbum, cujus virtutem eo bello cognorat, civitatis jure donavit. Ob eam rem cum lis ei postea intentata esset, quasi civitatem iure non esset consecutus; viros clarissimos habuit defensores M. Crassum, Gn. Pompejum, et Ciceronem

in Oratione quae inscribitur *Pro L. Cornelio Balbo*, quam habitam putat Manutius Marcellino et Philippo Coss. Ceterum quamvis a Pompejo jus civitatis obtinuisset, tamen quia L. Cornelij Lentuli gratia id est adeptus, idcirco praenomen atque nomen ab eo de more sumens, L. Cornelius Balbus est appellatus. Lentulus hic non alius videtur esse, quam qui belli civilis anno primo Consul fuit, ut ex Balbi epistola intelligitur, inter eas quae Lib. IX. Epistolarum ad Atticum sunt. Idem Balbus a Theophane Mitylenaeo Pompeii liberto est adoptatus primo Julii Caesaris Consulatu, ut e Cicerone Ad Att. VII. 6. discimus. Vide et Orationem *pro Archia* Cap. 10. et Tacitum Annal. VI. 18. Unde idem Cicero Or. *pro L. Corn. Balbo* ait, *adoptio Theophanis agitata est.* Et quidem ex adoptione Theophanis cognomen est assecutus, uti colligitur e Capitolino, qui in Balbini Imperatoris ab hoc Balbo genus se ducere jactantis vita, haec ait: *Familiae vetustissimae, ut ipse dicebat, a Balbo Cornelio Theophane originem ducens, qui per Cn. Pompejum civitatem meruerat, cum esset suae patriae nobilissimus, idemque historiae scriptor.* Caesaris Praefectus Fabrûm fuit, atque apud eum tantum gratia valuit, quantum nemo alius. in Orat. cit. cap. 28. *Nolite, per deos immortales, judices, hunc illi* (Caesari) *acerbum nuntium velle perferri, ut suum* Praefectum Fabrûm, *ut hominem sibi carissimum et familiarissimum, non ob ipsius aliquod delictum, sed ob suam familiaritatem vestris oppressum sententiis audiat.* Idem Cicero ad Att. II. 3. *Nam fuit apud me Cornelius, hunc dico Balbum Caesaris familiarem.* Idem affirmat Svetonius in Iulio cap. 81. *Cum in Colonia Capua deducti Lege Julia Coloni ad extruendas villas sepulchra vetustissima disjicerent . . . . . tabula aenea in monumento, in quo dicebatur Capys conditor Capuae sepultus, inventa est conscripta literis verbisque Graecis* haec sententia: « quandoque ossa Capys detecta » essent, fore, ut Iulo prognatus manu consanguineorum

» necaretur, magnisque mox Italiae cladibus vindicaretur » *Cuius rei, nequis fabulosam aut commentitiam putet, auctor est Cornelius Balbus familiarissimus Caesaris.* E quo loco simul colligitur Balbum historiam aliquam conscripsisse, qua ejus facti meminerit. Neque alia certe historia intelligenda est, quam liber *Ephemeridum* Caesaris Sidonio memoratus Lib. IX. Epist. 14. in haec verba: *Nam si emittantur, quae de titulis Dictatoris* (Caesaris) *invicti scripta Patavinis sunt voluminibus, quis opera Suetonii, quis Iuvencii, Martialis historiam, quisve ad estremum Balbi* Ephemeridem *fando adaequaverit?* Et Capitolini etiam locus supra recitatus historiae scriptorem facit hunc Balbum. An idem porro sit atque ille Cornelius Balbus qui ἐξηγητικὰ scripsit, e quorum XIIX libro quaedam verba profert Macrobius Saturn. III. 6, dubito.

Pompejus etiam illum quanti fecerit, ex eo intelligi potest, quod ei locum ad aedificandos hortos dederit, ceteris saepe amicis omnibus praelato, id quod Cicero epistolis ad Atticum queritur.

Caesaris in Gallia praefectus Fabrûm fuit, ut colligitur ex Orat. pro *L. Corn. Balbo* cap. 28., sed postea bellum Civile cum erupisset, ipsius Caesaris permissu in urbem regressus se quieti dedit, ne Pompejum armis appeteret. Ipse Balbus epistola ad Ciceronem, quae inter epistolas lib. IX ad Atticum extat, id testatur; ubi Ciceronem adhortans, ut ab armis contra Caesarem abstineret, hoc addit: *Etiam mihi ipse sua concessit voluntate ne in iis castris essem, quae contra Lentulum atque Pompejum futura essènt, quorum beneficia maxima haberem: sibique satis esse dixit, si rogatus urbana officia sibi praestitissem . . . . Itaque nunc Romae omnia negotia Lentuli procuro, sustineo; meumque officium, fidem, pietatem his praesto etc.* Tum vero ex hac, tum aliis ipsius Balbi ac Ciceronis epistolis, Balbum pacis inter Caesarem ac Pompejum componendae semper auctorem fuisse, aut certe videri voluisse constat.

Hunc hominem quamvis externum aliquando Consulatum gessisse inter admiranda recenset Plinius lib. VII. Cap. 43. *Fuit*, inquit, *et Balbus Cornelius Major Consul, sed accusatus atque de iure virgarum in eum* (1) *judicum in consilium missus: primus externorum, atque etiam in Oceano genitorum, usus illo honore, quem majores Latio quoque negaverunt.* Consul is sane suffectus fuit cum P. Canidio, eorumque Consulatus incidit in finem anni ab V. C. 714, quo Consules ordinarii fuere Cn. Domitius Calvinus, et C. Asinius Pollio; uti constat ex fragmento Colotiano apud Grut. p. CCXCVIII, ubi extremis duabus lineis legitur :

CN · DOMITIVS · M · F · C · ASINIVS · CN · F
SVF . L . CORNELIVS . L . F · SVF · P · CANIDIVS
P . F

Dio vero lib. 48. ad ann. 714. ait: *Interea temporis etsi jam in exitu erat annus, abrogato praetoribus et consulibus magistratu, alios iis suffecerunt; nihil curantes quod ii paucos dies essent cum ea dignitate futuri. Fuit inter eos, qui tunc Consules facti sunt, L. Cornelius Balbus, Gadibus natus, tantum suae aetatis homines divitiis et magnificentia superans, ut moriens populo Romano in singula capita vicenos quinos denarios legaverit.* Hucusque Dio. . . . .
. . . .
. . . .

Haec de Maiore Balbo : nunc de minore seu Garamantico quae reperi, proferam.

Is etiam Gadibus ortus, cum patruo civitate donatus est, teste Plinio lib. V. Cap. 5. Bello Civili Caesari adhaesit. Missus ab eo ad Cornelium Lentulum Consulem cum litteris ac mandatis, et promissione Provinciae, si omissis Pompeii

(1) Idest accusatus quod civitatem Romanam falso usurparet, cum peregrinus esset, ac propterea juri virgarum obnoxius, nam *Porcia lex* (inquit Cic. pro Rabir. 4.) *virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit.*

partibus, Romam rediret, legitur apud Cicer. Lib. VIII. ad Att. Epist. 2. his verbis: *Caesar ad me scripsit... gratissimum sibi esse, quod quierim: oratque in eo ut perseverem. Balbus minor haec eadem mandata*; *iter autem ejus* (Balbi) *erat ad Lentulum Consulem cum litteris Caesaris, praemiorumque promissis, si Romam revertisset. Verum cum habeo rationem dierum, ante puto transmissurum* (Lentulum), *quam potuerit conveniri.* Et rursus Epistola 9. ejusdem libri scripserat: *VI. Kal. vesperi Balbus minor ad me venit, occulta via currens ad Lentulum Consulem missu Caesaris, cum litteris et mandatis, cum promissione Provinciae, Romam ut redeat: cui persuaderi posse non arbitror, nisi erit conventus. Idem ajebat nihil malle Caesarem, quam ut Pompejum assequeretur, id credo; et rediret in gratiam, id non credo; et metuo ne omnis haec clementia ad unam illam crudelitatem colligatur. Balbus quidem major ad me scribit, nihil malle Caesarem quam principe Pompejo sine metu vivere. Tu puto haec credis* etc. Cum tamen Lentulum Balbus non fuisset assecutus, apud Dyrrachium demum per summam temeritatem ingressus Pompejana castra cum Lentulo collocutus Vellejo dicitur, qui lib. II. n. 51. haec ait: *Tum Balbus Cornelius, excedente humanam fidem temeritate, ingressus castra hostium, saepiusque cum Lentulo collocutus Consule, dubitante quanti se venderet, illis incrementis fecit viam, quibus non Hispaniae Gadibus natus* (quod alij aliter legunt) *sed Hispanus in triumphum et Pontificatum adsurgeret, fieretque ex privato Consularis.* Quem Paterculi locum miror ab Harduino in notis ad Plinium lib. VII. c. 43. ad majorem Balbum referri, qui tum, uti supra ex epistola ipsius Balbi minoris ad Ciceronem docuimus, bello Civili non se implicuit, ne aut Caesarem aut Pompejum offenderet: et praeterea quod de Balbi triumpho memorat Paterculus, id non majori qui nusquam triumphalis fuisse legitur, sed minori tantum convenit, ut vel ab

ipso suo Plinio discere poterat Harduinus, qui Lib. V. Cap. 5., Garamantum regione descripta ait: *Omnia armis Romanis superata, et Cornelio Balbo triumphata: uni huic omni externo* (1) *curru et Quiritium jure donato: quippe Gadibus genito civitas Romana cum Balbo majore patruo data est. Et hoc mirum, supradicta oppida ab eo capta, auctores nostros prodidisse: ipsum in triumpho, praeter Cidamum et Garamam, omnium aliarum gentium urbiumque nomina ac simulacra duxisse, quae iere hoc ordine.* Tum quo ordine in Garamantico Balbi triumpho urbium populorumque eius regionis simulacra processerint, edisserit. Solinus etiam e Plinio paene eadem de hoc Balbo recitat Cap. 29. ubi ait: *Garamantas Cornelius Balbus subegit, et primus ex hac victoria triumphavit.* Primus sane de externis, utpote Gadibus genitus, accessit ad gloriam nominis triumphalis. Idem affirmat Strabo lib 3. et Fasti Capitolini consentiunt, qui anno V. C. DCCXXXIV. eum triumphum consignant.

Quod vero Paterculus, ut ad eum redeam, minorem Balbum non solum triumphalem, sed et Consularem appellat, id a nemine alio proditum invenio, nec quando Consulatum suffectum gesserit, scio.

Meminit ejusdem Balbi minoris Cicero ad Att. XI. 12. et alibi. Caesar autem non raro ejusdem iojicit mentionem Lib. 2. *De Bello Civ.* Cap. I, IX, et XIII. ca-

---

(1) Quod Harduinus in hunc Plinii locum ait non solum e peregrinitate sed ultimum etiam privatorum triumphasse, eo quod postea et imperatores, et eorum propinqui tantum triumpho ducerentur: id non est certum. In Fastis quidem Capitolinis ultimus triumphalium recensetur hic Balbus, in eoque finis fit ultimae paratadae ap. Grut. p. CCXCVII. Quare si qua eorum tabularum continuatio existeret, tum demum an quisquam privatus post Balbum triumpharit, resciri posset. Interim ex Svetonii Octavio Cap. 38. conjici potest alios etiam privatorum post Balbum triumphasse, ut triginta Ducum triumphalium numerus confieri possit, sic enim ille: *Nec parcior in bellica virtute honoranda, super triginta ducibus justos triumphos, et aliquando pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit.*

strorum Cornelianorum in Africa meminit. Lib. vero III. cap. 18. cum bina castra Pompeji atque Caesaris Fl. Apsus sejungeret, ac de pace ageretur, tamen telis undique immissis, Balbum cum aliis vulneratum narrat. *Vulnerantur tamen*, inquit, *complures : in his Cornelius Balbus, M. Plotius etc.* Sed et C. Asinius Pollio ad Ciceronem scribens (X. Epist. Fam. 32.) Hirtio et Pansa Coss. atrocia multa Balbi hujus minoris, qui sibi tum quaestor in Hispania erat, flagitia exagitat (a) Gadibus in sua Patria ab eo patrata, ac paria omnia iis quae Caesar olim fecisset. Qui locus, nisi bene longus fuisset, adscribendus huc erat. Nunc satis est eum indicasse.

Demum ad eundem hunc Balbum minorem, non vero ad ejus patruum, referendum puto nummum a M. Velsero productum (lib. 4. *de August. Vindel.* pag. 61.) qui sic inscribitur : CAESAR . AVGVSTVS . TRIBVNIC . POT . IX . COS . XI . Et in aversa parte. M. TITIO . P . QVIN . VARO . L . COR . BALBO . Bos ibidem obsignatus coloniam ab iis triumviris deductam designat, quam fuisse Augustam Vindelicorum Velserus putat. Augustus inibat Potestatem Tribuniciam ex A. V. C. DCCXXXIX. die 27. Iunii. Quare deducta ea Colonia fuit vel anno DCCXXXIX. post. 27. Iunii, vel anno sequenti DCCXXXX. ante 27. Iunii. Quo anno difficile est Balbum Majorem adhuc superstitem extitisse : quare de Minore Balbo nummus est intelligendus, qui anno DCCXXXIV.

(a) » Huc videntur referenda, quae Mazochius adlevit parva schedula con- » glutinata in ora paginae hujus Schediasmatis his verbis »

Theatrum a Corn. Balbo structum, et ab Augusto dedicatum, de quo Dio lib. 54. p. 538. non ad minorem hunc, sed ad majorem fortasse spectat, quod tamen expendendum. Vide Pitiscum in Theatrum Balbi Minoris, *et* Thermas Balbi Minoris. *Cellarius* Orb. Antiq. *p. 88. init. ait a Balbo Consulari novam urbem Gaditanam esse conditam (ex Strabone). Hinc queritur Asinius Pollio illa flagitiose a Balbo minore commissa ; quia patria a se condita omnia exemplo Caesaris summo jure gerebat Itaque a minore Balbo extructam putem : unde et consulatus huic adstruitur. Sed videndus Strabo. MUNIC. IVL. AVG. Gades dicitur, quia fortasse ex S. C. omnia haec nomina est consecuta, adnitente Balbo. Vide* Dionem *de Paphiis.*

de Garamantibus, uti jam dixi, triumphavit. Duo illi M. Titius et P. Quinctilius Varus viri Consulares fuere. Balbus quoque minor non solum triumphalis, sed etiam Consularis fuit, ut ex Velleji loco supra recitato didicimus.

Atque haec sunt, quae de utroque Balbo colligere potui. Nunc illud expendendum est, ad utrum eorum haec inscriptio pertineat; nam utrique eorum praenomen Lucii fuit, uterque Consularis, uterque Caesaris amicus, ut coloniae ex Lege Iulia deductae patronus esse potuerit. Sed de Majore procul dubio marmor est accipiendum, quippe cum *Lucii Filius* dicatur in nostro lapide, cum contra Balbus Minor *Publij Filius* diceretur, ut constat ex Tabulis Capitolinis triumphorum, in quarum fine sic legitur:

L · CORNELIVS · P · F · BALBVS · PRO · COS · A · DCCXXXIV
EX · AFRICA . VI. K. APRIL

Crediderim, cum lege Iulia Capuam Colonia deduceretur, hunc Cornelium Balbum fuisse unum ex XXviris, a quibus deducta fuit, idcircoque a Campanis inter Patronos Coloniae cooptatum (1). Sicuti et alterius Coloniae deducendae triumvirum L. Cornelium Balbum minorem supra indicavimus.

---

(1) Dixi cooptatum, quomodo Plinius Iunior Lib. IV. Epist. 1. scripsit se a Tiphernatibus *pene adhuc puerum patronum cooptatum*: quod postremum verbum, uti scite monet Norisius ad *Cenot. Pis.* p. 173., plures fuisse ejusdem urbis Patronos significat. Hinc solum se a Campanis patronum adoptatum Cicero *In Pisonem* num. 19. et in *Sextiana* gloriatur. Caesar. *Bell. Civ. Lib. I. 35.* auctor est et Pompejum et C. Caesarem a Massiliensibus patronos civitatis designatos.

DE GENTE TVRCIA

TVRCIAE . MARCELLAE
C. F
E
CONSVLARIS · VIRI · FILIA ·
CONVGI · TVSSI · DE

Id est » *Turciae Marcellae Clarissimae feminae* (1). *Consularis viri filiae*) nam τὸ E quod in fine alterius lineae legitur pertinet ad finem tertiae, ubi cum elemento E locus non fuisset, eam literam supra scripsit marmorarius, id quod alibi in monumentis observavi, ac vulgo Arabes faciunt, *Conjugi Tussii Decurionis*.

Ex hac Inscriptione patris Turciae Marcellae tantum gentilitium nomen aucupamur, praenomen vero atque cognomen ignoratur. Nam quod altera linea legitur C. F. non significat, uti dixi, *Caii Filiae*, sed *Clarissimae Feminae*. Cognomen vero Marcellae haud necesse est filiam a Patre mutuatam, cum quandoque e matre etiam cognomina filiis, aut unde unde adquiri consneverint. Itaque

---

(1) Scaliger in indice Gruteriano *Notarum* etc. singularias has literas C. F. in duobus Gruterianis elogiis, quae ibi citat i. e. p. 309. 2. et p. 344. 4. interpretatur *Clarissima Femina*. Atqui idem vir summus τὸ CC. FF. (quod reperitur apud Grut. p. 1088. 1. ubi legitur AVRELIA · IVSTA. ET . VALERIA . COMMVNIA . CC. FF.) adfert quidem in eodem indice, sed sine interpretatione. Nec animadvertit in laudata Inscriptione notas illas significare *Clarissimae feminae* numero multitudinis.

» Huc spectare videntur schedulae duae in superna primae hujus schedias-
» matis paginae ora a Mazochio agglutinatae, quae sic se habent »

Ad illud C. F. Clarissimae Feminae.

Confer Lampridium Heliog. Cap. 4. (*pag. mihi* 797. *lin. pen.*) *et ibi Casaubonum.*

Ad Inscriptionem uxoris Consularis etc. Vocatur Clarissima Femina. *Sed* consulares feminas *Vlpianus* (*Leg. I. ff. Lib. I. De Senat.*) *Consulum uxores appellat: eidem* speciosae *quoque dicuntur*, *leg.* 100. *ff.* de *V. S. De Vxoribus consulum videndus Pagius in* Diss. Hypat. *p. 30. N. III. IV. et fuse Spanhemius de V. et P. N.* (*2. Edit.*) *pag.* 602. 605.

Marcellae pater fuit quidam Turcius vir consularis; quando vero gesserit consulatum ignoratur. Lapis non ineleganti charactere insculptus pertinet ad politiora Romanorum Principum tempora, quorum consules quidem ordinarii jam tenentur, suffecti vero non omnes perspecti. Itaque nihil impedimento est, quominus hic Turcius suffectum aliquando gesserit Consulatum. Sed de ejus Consulatu quid conjici possit statim aperiam, postquam suspicionem, quae me de hujus Turcii municipali Consulatu incessit, depromsero.

Cicero in II. *Agraria* cum Campanorum arrogantiam insectaretur, quod *cum ceteri in coloniis Duumviri appellarentur, hi se Praetores appellari volebant*, illud etiam subjungit: *Nonne arbitramini paucis annis fuisse nomen Consulis appetituros?* Quae quidem, quasi divinasset, sic ea praedixisse Cicero videbitur, si quidem demonstravero nostrum hunc *C. Turcium Consularem* esse interpretandum *Duumviralem Capuae*.

Ac primum quae de Consulibus Municipalibus dici possunt, quo majus auctoritatis pondus nanciscantur, malo Norisii ea verbis depromere. Nam vir infinitae lectionis Henricus Norisius postquam *Ad Cenot. Pisan.* pag. 41. hoc Epigramma recens tum Pisis effossum recitasset:

D · M · S
FELIX . HERCVLEO
EQ · P · AED · II · COS · I
PONT · PERP
REIP · PIS

tum pag. 43. de difficultate istius Consulatus praefatus, ait: *Doctissimus Chimentellius* Cap. 5. de Honore Bisellii *scribit, Duumviros in ambitiosa quapiam Colonia potuisse nuncupari Consules, cum ijdem Romanorum Consulum imaginem suis in urbibus praeseferrent, qui quidem Scriptor si epigramma, quod nondum e ruderibus erutum pedibus forte Pisis calcavit, vidisset, in eodem suaemet opinioni triumphum cecinisset.* Tum Vir Clarissimus Ciceronis ex II. *Agr.* testimonio recitato,

subjungit : *Ausonius se Burdigalae Consulem vocat.*
Diligo Burdigalam , Romam colo , civis in hac sum ,
Consul in ambabus

Quae carmina Velserus lib. 5. pro arbitrio invertit praeter omnium vetustorum codicum fidem. Reinesius vero Epist. *31. putat Ausonium Poetarum more loquutum ac metri causa pro Duumviro Consulem posuisse ; quod etiam repetit Lib. 3.* Variar. *Cap. 16. scribens pag. 603.* Consules sola Roma habebat incommunicabiles municipiis et coloniis. *Verum, uti scite notat Chimentellius , si quaedam Municipia Dictatorem juri dicendo praeficiebant , quod de Lanuvio testatur Cicero in Miloniana , et de Caerete Inscriptio Gruteriana pag. 214, aliae quaedam urbes suos Magistratus nomine Consulum appellarunt. Major certe Dictatorum,quam Consulum dignitas atque imperium erat , quod Syllae ac dein Caesaris exemplo constat. Augustus decimum tertium Consulatum accepit ; idem vero Dictatoris nomen ac potestatem sibi populo offerente,* Vestem suam discidit, recte invidiam atque odium ejus nominis vitans *ex Dione Lib. 54. et Suet. Cap. 12. de vita ejusdem.......... Laudata Inscriptio COS. I. posteriora tempora aperte indicat , nam antiquitus is qui semel Consulatum gesserat ,* Consul *inscribebatur , numeralibus notis tunc tantum additis, cum alterum vel plures Consulatus obtinuisset. Verum tamen, ne illa nota I praeter morem addita apud eruditos memoratae Inscriptionis fidem elevet , cum nusquam unico Consulatui subjecta legatur* (1), *Casaubonus in notis ad pag. 112. Apologiae Apuleji ex Philostrato de* Vitis Sophistarum *Municipales Consu-*

(1) Hoc sane metu Norisium liberat Fabrettus p. 723. ex inscriptione quam idem affert p. 332. n. 495. , ubi leguntur nomina sex Magistrorum , quorum duo dicuntur MAG. III. duo MAG. II , ac duo postremi MAG. I. Et in aversa cippi parte eadem nomina Magistrorum repetuntur , nisi quod pro notis numeralibus scribitur TER , BIS , atque in extremis duobus SEMel.

19

les producit, quos etiam admisit Scipio Gentilis Lib. 2. de jurisd. *Cap. 5.* Huc usque doctissimus Cardinalis. Quibus hoc amplius addo, Iosephum etiam Scaligerum in Indice Magistratuum in Voce *Consul municipalis* eos admittere non alio forte indicio, quam quod ii Consules, ad quos lectorem rejicit, nec in Fastis legantur, nec aliunde clari fuerint, nec eorum magistratus nisi municipales recenseantur.

Post hoc magnorum virorum judicium quis mihi jure succenseat, si in ea civitate, in qua *superbiae domicilium* Cicero fixit, Turcium istum Consulem colonicum i. e. coloniae, ubi lapis detectus, Duumvirum agnoscam? Et quidem in hoc saxo Campanae κενοδοξίας morbus facile se prodit. *Turciae*, inquit, *Marcellae Clarissimae Feminae Consularis Viri filiae*. Nec sane his titulis contenta pergit ambitiosa femina, et conjugem se fuisse significat TVSSI DEcurionis. Bene est, quod non pro Decurione Senatorem conjugem suum appellavit; sic enim facilius cognoscimus Turciae Patrem Consulem colonicum extitisse, cum ipsa a Decurione ducta fuerit. Est ne vero credibile Consulem Romanum Decurioni coloniae potius quam Senatori, aut saltem Equiti Romano filiam nuptui tradidisse? Census enimvero Decurionis fuit centum millium, equitis Romani quadringentorum fuit millium (utrumque patet ex Plinio Epist. Lib. 1. 19.), Senatoris vero duplo major i. e. octingentorum millium.

Accedit quod Consulis Romani filia nequaquam tralatitio cippo, qualis noster est e rudinsculo silice, sed sumptuosiore fuisset monumento cohonestanda. Nunc vel ignobilitas monumenti, etiam oscitanter insculpti, in quo literam E ad superiorem versum trajecit quadratarius, ac pro FILIAE FILIA sculpsit, de municipali Consule cogitare suadet.

His omnibus maximum sane pondus additura videbatur altera Inscriptio, quae extare dicitur *a Castel di*

Sangro, huic nostrae gemina planeque germana, de quodam Turcio Consule, quam affert Raphael Fabrettus pag. 722. num. 439, quae sic habet

AEMILIAE
C · F · CAL
LISTAE
(a) C · F · CONIV
GI · L · TVRCI
FAESASI · A
PRONIANI
COS
AVFIDENATES
D. D.

(a) Clarissimae Feminae.

In quam Inscriptionem haec notat vir in his literis magna cum laude versatus: *Consul iste* L. Turcius Apronianus, *Romanis fastis ignotus*, *Duumvir Aufidenae Samniticae urbis esse potuit, qui honoris sive ambitionis gratia id nominis usurpare ausus sit*, *eadem notione*, *qua se Burdigalae Consulem vocat Ausonius etc.* Tum contra Reinesium municipales istos Consules pernegantem Norisii auctoritate se tuetur.

Atqui si haec vera sunt, quae ego de nostro Turcio, quaeque Fabrettus de suo suspicabamur; quidni etiam L. ille *Turcius Secundus* Consul, qui apud Gruterum pag. CCCCLXXVI. 7. memoratur, consul municipalis fuerit, cum ne hic quidem in Fastis Consularibus comperiatur? Itaque non tam haec urbis alicujus, quam gentis Turciae ambitio fuerit, ut pro Duoviris *Consules* appellari gestierint.

Itaque tantum abfuit, ut me Fabretti Inscriptio in ea sententia confirmaret, ut coeperim potius de utriusque Consulatibus municipalibus dubitare (praesertim ob Tur-

ciorum Apronianorum clarissimam familiam, e qua celebres viri prodiere, ac rem in medium relinquendam statuerim. Sed antequam manum de tabula tollo, celeberrimum paulo antea indicatum Turciorum Apronianorum elogium, quod est apud Gruterum l. c. hic est describendum.

ASTERII
L · TVRCIO · APRONIANO · V. C
FILIO · L · TVRCI · APRONIANI · V. C
PRAEFECTI · VRBIS · NEPOTI
L · TVRCI · SECVNDI · C · V · CONSVLIS
QVAESTORI · PRAETORI · QVINDECEM
VIRO · SACRIS · FACIVNDIS · CORREC
TORI · TVSCIAE · ET · VMBRIAE · OMNI
VIRTVTE · PRAESTANTI · STATVAM
EX · AERE · ORDO · SPOLETINORVM
AD · MEMORIAM · PERPETVI NOMINIS ·
CONLOCARVNT
CVRANTIBVS · FL · SPE · V · P · ET · CONDO
NIO · TAVRO · IVN
POST · AMANTI · ET · ALBINI · CONS

Annus ultima linea signatus est an. Christi 346. In hanc porro Inscriptionem haec habet saepe laudatus Norisius *ad Cen. Pis. p. 433. Tres vero*, inquit, *in hoc Epigrammate Turcii Aproniani laudantur: avus, filius ac nepos. L. Turcius Secundus avus dicitur Consul, qui tamen nusquam in Fastis legitur. Equidem arbitror ejusdem Consulatum incidisse intra annum 307 et 312. etc.* Rationes quibus id probare nititur Norisius, ne longum faciam, apud eundem legere potes; sicuti etiam quae de duobus Turciis Apronianis filio, et nepote ibidem erudite disserit. Modo recitatum elogium cum olim apud Panvinium ad Annum V. C. 1092. legissem, subierat dubitatio utrum Turcius Consularis in nostra Inscriptione memoratus idem esset, atque hic L. Turcius Secundus

Consul. Nisi quod tempora non convenire sane videntur. Nam nostri lapidis Inscriptio non ineleganti charactere exarata vix videtur infra ducentesimum Christi annum rejicienda: cum L. Turcius Secundus a doctissimo Cardinali intra annum 307 et 312 Consul processisse statuatur, nec filii (qui anno 339 Praefectus Urbi fuit) ac Nepotis (cujus urbana Praefectura contigit anno 363 ex Ammiano Lib. XXVI. 3. XXII. 3.) aetates multo antiquiorem eum fuisse patiuntur.

Dein vero lecta Fabretiana Epigraphe coepi etiam cogitare, utrum L. Turcius Faesasius Apronianus Cos. ibi laudatus idem fuerit, ac L. Turcius Secundus Consul in Panviniano Marmore nominatus. Sed obest primum, quod cognomina sunt in utroque diversa ; etsi, fateor, pro incredibili coacervatione cognominum per ea tempora usitata potuit in una Inscriptione unum, in alia aliud usurpari ; ac parum credibile est L. Turcium Secundum duorum Apronianorum patrem atque avum, non ipsum etiam fuisse Apronianum. Deinde τὸ COS quod in Fabrettiano Epigrammate scalpitur, antiquius est quam pro ea aetate, qua *L. Turcius Secundus* Consul extiterit, nam post Galli et Volusiani tempora non COS, sed COSS aut CONS consules inscribebantur, uti Fabretto est alibi notatum.

Illud propius vero fuerit Fabrettianum Consulem L. Turcium Faesasium Apronianum eundem ac nostrum Turciae Marcellae Patrem extitisse, et quoniam in Fastis non notatur, suffectum Consulatum aliquando gessisse; neque enim Consules suffectos omnes tenemus. Ut ut autem haec se habeant, illud certe Fabretto aegre assentior, qui virum nobilem e clarissima Turciorum Apronianorum familia ortum, Consulatu Romano abdicare jussum inter Aufidenates obscuri nominis Duoviros ablegat. Nec tamen quidquam temere statuo, ac rem amplius expendendam puto.

Non vacat hic, quae de Turciis parum accurate scripsit Glandorpius, expendere. Sed primum et ultimum

Turciorum quos affert, brevi perstringam. Initio Turcium Apronianum Praefectum urbi sub Augusto e Volaterrano nobis obtrudit. Miror sane Tacitum, cum Lib. VI. *Annal.* Praefectorum Urbis sub Augusto catalogum texeret, istum Turcium Apronianum ignorasse. Alterum hujus filium postremo loco affert L. Turcium Secundum : sed praestat de eo Glandorpium loquentem audire. *L. Turcius Secundus,* inquit, *Praefecti Vrbis Aproniani filius. Fit ejus mentio in Inscriptione posita Augusto his verbis :* Imp. Caesar Divi Iulii F. Augustus Pont. Max. Cons. XIII. Trib. Pot. XXVIII. P. P. murum dedit curante L. Turcio Secundo Aproniani praef. Vrb. Fi. Asterio. V. C. Correctore Flam. et Piceni. *Hanc Inscriptionem Antonius Fanensis . . . . Fani in porta extare vult, contra Volaterranus Arimini.* Haec Glandorpius. Cui enim Inscriptionis νοθεία statim non subolet? Ubinam illa aetate CONS. pro COS. scriptum invenias? Ubi *Clarissimatus* dignitas sub Augusto in saxis notata? Quid de Correctoribus tanto serioribus dicam? Suspicabar duas in unum Inscriptiones fuisse compactas, ac primam in MVRVM DEDIT desinere, alteram a voce CVRANTE incipere. Sed postquam eam apud Gruterum pag. CLXV. 2. et quidem emendatiorem inveni, statim intellexi ita, uti conjectaram, dividendam esse Inscriptionem ; ac primam partem in media Arcus fascia esse incisam testatur Gruterus, reliquam vero partem in infima Arcus fascia scalptam, utique a posteriore manu.

SCANTIAE· REDEMPTAE· IN
COMPARABILISSIMAE · FEMINAE · QUE
IVS·DE·VITAE·DOCVMENTA·NON·SVFFICIT
MEDIOCRITAS·HOMINVM·AT·CVMVLM·LAVDIS
PERVENIRE· FVIT· NAMQVE· IVVENIS· ISTA
OMNI · GENERE · LAVDIS · CONDIGNA · PRIMO · DEIFICAE
SANCTITATIS · PVDICITIAE · VALLATA · HONESTATE · MORVM
orNATA.PIAETAS·IN PARENTIBVS·PROCLIVA·CASTITAE·INLVSTRIS
TENACITATIS·MAGISTRA·VERCVNDIAE·ANTISTIS·DISCIPLIN·
MEDCINA·FVIT·ET·INNOCENTIAE·SINGVLARIS
TALIS·FVIT·VT·ESSET·EXEMPLVM·MATRIMONI·FVIT·TALIS
VT·CONTEMNERET·IVVENTVTEM·NAM·MARITVS·AMavit
COIVGEM·FAMILIAREM.SALVTIS·ET·VITAE.SVAE·NVTric.
HAEC·VIXIT·ANNIS·XXII·MENSIBVS·X
FL·TARENTINVS·ET·SCANTIA·REDEMPTA
PARENTES·FILIAE·DVLCISSIMAE
SIBIQVE·FECERVNT

AD INSCRIPTIONEM SCANTIAE REDEMPTAE

Tabula ex candido marmore longa fere palm. tres, lata fere duos cum dimidio, *littera* vere *quadrata*, uti mox dicam. Apparent etiam nunc linearum ductus παράλληλοι seu aeque distantes, ne eos limites litterae excederent. Eoque factum ut hujus tituli scriptura elegantissima videatur, etsi sit sequioris aevi. Id mihi revocavit in mentem celebrem Petronii locum Cap. 29. *Satyr. Non longe ab ostiarii cella canis ingens catena vinctus in pariete erat pictus*, *superque* quadrata littera *scriptum* CAVE CANEM. Vexatus in primis locus. An Petronij aetate praeter majusculos characteres erant et hi qui nunc vulgo usurpantur? Sunt quibus id locus Petronii persuasit (1). Ego *quadratam literam* censeo affabre ductam inter lineas παραλλήλες, ne sursum aut deorsum scalprum sive quodcumque γραφικὸν ὀργάνον deflecteret. Id vocarunt *quadrare litteras*, quod in hac tabula cernimus: nam quae in marmoribus aut Membranis inaequalibus litteris conscribebantur, eae non erant *quadratae litterae*. Ii qui in marmoribus ope normae ac regulae faciebant, *quadratarii* dicebantur, sic appellati sive quod lapides quadrarent prius quam scalperent in Cod. *De excus. artif.* leg. 1. λιθοπῆκται (*quadratores*), sive quod quadrarent scriptum.

SCANTIAE . REDEMPTAE] Utrumque nomen a matre, non a Patre sumptum. Vide ad finem tituli. Sic Arria uxor Thraseae Paeti sub Nerone nomen ab Arria matre, non a Caecina Paeto patre invenit. Idque in scriptis lapidibus passim animadvertas. Fortasse id matris nobilitati datum. Quid si enim mater ad Scantiam Vestalem genus suum referebat? Apud Tacitum *Annal.* IV. 16. *Corneliae Virgini, quae in locum Scantiae capiebatur HS*

(1) Videantur Adnotatores Petronii, et Leo Allatius.

vicies Tiberius dedit. Id si est, non immerito tam larga toto titulo *sanctitatis*, *pudicitiae*, *castitatis*, *verecundiae* etc. mentio. Contra vero Pater ab aliquo Flaviorum Impp. liberto fortasse genus libertinum ducebat.

Lin. 2. INCOMPARABILISSIMAE etc.] Hujus superlativi frustra, puto, alibi exempla quaeras, nisi forte in aliquo monumento sequioris aetatis, et ab indocta manu. Ceterum totum hoc epigramma non minus barbarie et *ἀνακολούθοις*, quam assentationibus scatet. Nemo ignorat quam frequentes sint hyperbolicae locutiones in veteribus titulis. Apud Gruterum p. DCCLII. 3. conjugi cuidam inscriptio ponitur *incomparabili*, *dulcissimae*, *sanctissimae*, *castissimae*. Eadem *τὰ ὑπερβολικὰ* (nisi quod insuper additur PIENTISSIMAE) apud Fabrettum pag. 250 n. IV., qui deinceps plena manu epigrammatum talibus assentatiunculis insignium congeriem ad usque pag. 256 subnectit.

Lin. 2. QVE Lin. 3. IVS] fortasse pro *cujus*.

Lin. 4. HOMINVM] In lapide elementum H sinistro apice aliquanto breviore scalptum fuit: quod et characteri minori, quo utimur, originem attulit, qui et nonnumquam in saxis deprehenditur.

Lin. 6. DEIFICAE SANCTITATIS] Haec phrasis Christianum elogij Scriptorem videtur arguere. Graece dixeris *τῆς ἐνθέυ ἁγιωσύνης*. Certe Sacrae Scripturae Codices *libros Deificos* Christiani appellabant, ut legitur in gestis purgationis Caeciliani, quos *ἐνθέυς* Graeci Scriptores appellitant. Et Anastasius Bibliotecharius in versione VII Synodi *Deificum* interpretatur, ubicumque vocem *ἔνθεος* nactus fuerit. Lucianus ad Celerinum ep. inter Cyprianicas 25. verba confessionis appellavit *verba deifica*. *Ipsum*, inquit, *anguem majorem* (Decium intelligit) *metatorem Antichristi*, *non tantum confessus deterruisti vocibus illis et verbis deificis etc.* Cyprianus Epist. 48. *Nec remanere in Ecclesia Dei possunt qui deificam et Ecclesiasticam disciplinam*, *nec actus sui*

conversatione, nec morum pace tenuerunt. Ad haec in Martyrio S. Cyrilli pueri apud Ruinartum pag. 246. n. 2. legitur: *Haec dicens cum quadam deifica virtute etc.* Sic et apud eundem in Actis S. Felicis pag. 556. n. 1. et 2. Sanctae Scripturae *libri deifici, et Scripturae deificae* appellantur.

Sed illud SANCTITATIS videbatur illam *sanctitatem* notare, qua sanctimoniales nomen acceperunt. Augustinus Lib. *De Sancta Virginitate* c. 55. *De Sanctitate qua sanctimoniales proprie dicimini.* S. Leo Epist. ad virginem Demetriadem Cap. 13. *Praesertim,* inquit, *cum mihi sermo esset ad Sanctimoniam tuam.* Pontius Diaconus in Vita S. Cypriani Cap. 2. *Si concupiscentiam carnis robusto atque integro sanctimoniae vigore calcaret.* Idem Pontius ibid. Cap. 7. *Quis Virgines ad..... habitum sanctimonia dignum...... coerceret?*

Verum nihil necesse est Scantiam fuisse Christianam, nam quidquid ejusmodi dicitur quod Christianum redolet, id ad assentationem, qua totus scatet hic titulus, est referendum. Apud Fabrettum pag. 266. n. VIII. COIVGI . DIVINAE. Apud Grut. pag. DCXIII. 5. Helpis quaedam DEA . ET SANCTISSIMA. dicitur. Apud Fabrettum pag. 268. n. 116. CVI. (Bellicio Aemilliano) DEI . CASTITAS . PERMANSERAT . Ibidem n. 117. D. M. CALLISTIANO . DIVO . ET . DOMINO . MEO etc.

Lin. 8. CASTITATE INLVSTRIS] Saepe in veteribus elogiis castitas in conjugibus commendatur. Vide eas inscriptiones, quas Fabrettus in pag. 250 ad 256 congessit.

Lin. 9. TENACITATIS MAGISTRA] Tenacitas constantiam ne significat, an parsimoniam? Hanc puto, quae saepe in veteribus elogiis commendatur in feminis. Quamquam autem tenacitas ferme est sordida parsimonia ut apud Livium XXXIV. 7. heic tamen in laude ponitur, ut et Anglicano Marmore apud Gruterum pag. DXCVI. 5. de quo vide mihi dicta in Epist. *De dedicat. Sub*

Ascia pag. 93. not. 118. Apud Casaubonum ad Spartiani Severum Cap. 17. PATRI . PIENTISSIMO . ET . SOCERAE . TENACISSIMAE . MEMORIAE . POSVIT . Vide ibi de *Pertinacis* nomine.

Lin. 9. DISCIPLINae , Lin. 10. MEDCINA] Ne hoc quidem a Christianorum sermone abhorret. Omnino , si non Christiana isthaec Scantia aut parentes fuere , vixere saltem tertio aut quarto Saeculo , cum isto modo passim et Christiani et Ethnici loqui consuevissent.

Lin. 15. FL. Invenitur sic in Inscriptionibus Vestalium apud Lipsium (*De Vestalib.*) FL. MANILIAE et FL. PUBLICIAE bis.

